Purchase - Alice W. Kurtz
March 15, 1912

SCUTUM
CONFESSIONIS
CONTRA NEFARIOS SACER dotes in Sacramentali Confessione pœnitentes fœminas ad turpia provocantes.

PROFERT IN LVCEM
R. P. Fr. *ANTONIVS de SCOTO*, Lector Iubilatus, Tribunalis Fidei Novæ-Hispaniæ proprietarius Qualificator, Generalis studiorum Sancti Evangelij Provinciæ Regens, eiusque ad Capitulum Generale, Anno 1706. celebrandum, Pro-Minister electus.

CONSECRATQVE
R. adm. P. N. Fr. EMMANVELI DE ARGVELLO, *eiusdem Mexicanæ Eparchiæ Ministro-Provinciali, Sanctæ Inquisitionis Qualificatori, Lectorique Iubilato.*

CVM LICENTIA Mexici, apud *Michaelem de Ribera*, anno 1703.

OPERIS DICATIO.



O FORTIVS RETVN-dendus est ausus (charissime Pater) quo temerarius impetit atrox. Audacius quid, vel dirius, quã fœminas irretire blãditijs Sacramentaliter pœnitentes? Pastores, efferatos vt lupos, Dominicum dilaniare gregem? Pessimas vt feras sacrum vitæ deturbare fontem? Animarum lavacro commiscere venenum, vt pœnitentes mortem pro vita misere combibant? Salvamenti que tabulæ inferre naufragium, vt confugientes ad ipsam periclitentur in profundo? O inauditum, horridum que nefas! O scelus sacrilege perpetratum! Sed ò fidelium dulce præsidium! O inexpugnabile Cõfessionis Scutum, cuius invincibilis fortitudo crudeles instaurat ictus! Quód sane opus destinare tuas ad aras in corde posui: alienum namque non est *Confessionis* á Scoto *Scutum* tibi dicare, dum confessum est Scotus à te non alius, sed proprius, sed concivis, sed patritius; & quia. Verum non plus vltra. Quid vltra dicam? Nobilitatis stemmata referam? Ad te oculos, aures

Cassiod. 5. variar. Ep. 12. que trahis: *Et hac est indubitata nobilitas, qua moribus probatur ornata.* Magnum te dicam in Oratoria? Alij prædicent. Subtilitatis iaculis in cathedris æque ferire? Argumẽtum sit alteris in encomion. Iustitiæ æquitatem servare Prælatum? Plenus meritis, atque diebus accensa fervet spe, diem tuum non post multos hos dies desiderando videre; gaudebit, ni fallor, cum viderit; non etenim ipsi, quod Conquisitoribus, continget, de quibus Illustrissimus Zapata: *Cum ipsi laboraverint, alios vident in suos labores, laborumque fructus introire, quod eis summa tristitia est; & eis summa curæ esse debet, quibus commissum est eorum patrocinium.* Etenim naturali quãtumuis barbaricæ gentis congruit rationi, bene servientibus, ac de se meritis competentem remuneratione prætare ex l. *Sed si lege.* § *Consuluit.* ff de Pet. hæred, alibique. *Credamus* (vna clamitat Seneca) *nihil esse GRATO ANIMO honestius: omnes hoc vrbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes clamant. In tãta iudiciorum diversitate REFERENDAM BENEMERENTIBUS GRATIAM omnes vno ore affirmant, in hoc discors turba consentit.* Immo & brutorum quadrat instinctui, Casiodoro teste: *Etiam bruta*

Zapat. Epist. Guatemal. tr. de Iust. distr. p. 3. c. fin. num. 6.

Senec. Ep. 28. ad luci.

animalia expectare videntur præmia sua: & tanta iustitiæ vis est, vt neque illis tardius detur laboris pretium, qui sentire non poterunt denegatum. Verum neque ex istis ore profe-ram tuis dotibus vnam. Te PATRITIVM mecum esse sufficiat pro mei tibi operis collatione. *Copia enim frumentorum Provinciæ debet primum prodesse CUI NASCITUR quia iustitius est, vt INCOLIS propria fœcunditas serviat.* Id que Glossa argumento mirabili firmat ex l. *Divi Marcus*. ff. de Tutor. & cur. dat. Vbi pro tutore dando pupillo, sufficere decrevit esse idoneum, si eiusdē sit civitatis cum pupillo: si vero ex alieno sumatur oppido, præstantissimum requirit esse tutorem. Quid igitur modo inquam, si vltra eiusdem esse patriæ cum cliente præstantissimus adest? Iure stricto in mei vocaris tutelā; ne dicam Patronum: Atheniensium namque erat in more, quod etiam apud Romanos Romuli viguit lege, Patronum sibi eligere, qui non cives erant, sed inquillini. Concives ergo sumus. En Scutum. Ecce Scotus. Optime vales. Æque valeas. Div. Iacob Collegio, 23. Iunij 1703.

Cassiod. lib. 2. Ep. 28.

Cassiod. lib. 1. Ep. 34.

Glos. in c. licet. 8. *q.* 1.

Plutar. in Romulo.

Tuas deosculatur manus minor inter subditos.

Fr Antonius de Scoto.

CENSVRA

R. adm. P. Fr. Iosephi Gonzales, Guzmanorum Familiæ, Prædicatoris Generalis, Mexiceæ Sancti Iacobi Provinciæ olim Diffinitoris, modo que eiusdem Prioris Provincialis.

HOC Scutum egregie elaboratum á R. P. *Fr. Antonio de Scoto* ex Seraphica, mihi que charissima Familia, Lectore Iubilato, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, Generali studiorum observantissimæ Sancti Evangelij Provinciæ Regente, eiusdem que Provinciæ pro Commitijs generalibus Electore, nimia animi voluptate perlegi. Vere etenim Scutum à Scoto perpolite erectum: nam si Scoto Hispanice, Scutum latine sonat, vt Scuto Scutum prævalidum contra nefarios ministros muniatur; & circunspectum Sanctumque Penitentiæ Tribunal Scuto Scoti fulciatur. Nam si in Scuto adimatur V. & apponatur O. in Scuto *Scoto* legitur; & si in Scoto auferatur, O. & loco eius supplea-

tur,

tur, V. in Scoto *Scuto* invenitur; vere enim, inquam, Scutum Scoto est contra nefarios ministros in Penitentiæ Sacramento delinquentes, Hoc in Scuto, (& vt melius dicã Scoto) claritatem laudo, brevitatẽ concelebro, zelum demiror, Subtilitatem in Scotum à Scoto transfusam, & ebibitam plaudo; & veritatem, qua hoc munitur Scutum, agnosco: ita vt mihi licere valeat dicere *Scuto circumdabit te veritas eius*. Hoc veritatis Scuto circumdatur Pœnitentia, & vallatur Sacramentum. Cumque nihil in eo, quod Fidei nostræ, & bonis moribus adversetur, reperiam, dignum typis mandandum iudicavi. Sic censeo. Salvo, &c. In hoc Regali Conventu S. P. N. Dominici de Mexico, die vigessima octava Mensis Iunij, Anni Domini Millessimi Septingentessimi tertij.

EXme. Princeps
Vestræ EXmæ. Dominationis obsequens, & supplex Capellanus

Fr. Iosephus Gonzales.

AP-

APPROBATIO
R. adm. P. Fr. BARTHOLOMÆI Navario de Sancto Antonio, *suo in sacro Prædicatorum Ordine Magistri, Tribunalis Fidei proprietarij Censoris, Mexicea in Regia Vniversitate Theologiæ Doctoris, Angelici Magistri Cathedræ Moderatoris, Conventusque Divi Hyacinthi Præsulis.*

HOcce, cum iussu D. D. Mesothori huius Generalis Archiepiscopatus Vicarij, Provisoiisque Iudicis, atque Ordinarij Sanctissimæ Inquisitionis D. D. Antonij Auncibár, & Anaya, intiospicerem Opusculum, cui inscriptio: *Scutum Confessionis contra nefarios Sacerdotes, &c.* Authore Adm. R. P. Sapientissimo Iubilato Lectore *Fr. Antonio de Scoto*, Proprietario S. Officij Qualificatore, Studiorum Generali suæ Almæ Sancti Evangelij Observantissimæ Mexicanæ prædilecti Nostri Magni Parentis Divi Francisci Regente Provinciæ, istius que ad annum septingētesimum sextum enumerandum supra millessimum pro Electione

Gene-

Generalis Capituli Pro-Ministro celebrandi? In veritate comperi, quia in omni faciente opus eius, quãtum est, perspicuũ erit, quoniam *Scuti* titulus acceptus est illi Dum puritatem, qua sancta, sanctè est tractanda Cõfessio, protegens illibatam *Scuti* adamussim exprimit proprietates. Vnde solidissimis Subtilis Professoris Scoti, Scoti Subtilis rationibus fulcitum vndique securioribus in sententijs, quis prudenti, separáte prætiosum á vili, indagine seligit accurate, mire facit Confessarium, qui fœliciter ipso per necessaria de solicitantibus in Materia sumet *Scutum* inexpugnabile, æquitatem que, vt *Scuto* bonæ voluntatis coronatam, habebit castam & ipso, quo difficilia, curiosa, in praxim dubia evenientia *Scuto* circundabit te veritas eius, vt immaculate in via ambulans in lege Domini, salvas, O Cõfessor, tutissime, & amaritudinem citra ista in Materia, rectam sequ aris viam, quæ ducit ad vitam: Siquidẽ in illa mellifluis gravissimas resolutionibus ad Quæstiones, vere *Scutum* attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Favus distillans, labia eius, quia de forti egressa est dulcedo, quæ omne tulit punctum, quæ miscuit vtile dulci, etiam grata eius in brevitate. Brevis etenim involatilibus

Ecclesi. 11. ℣. 3
Iudic. 14. ℣. 14.

bus

ctus est apis, & initium dulçoris habet fructus illius. Sicçine profiteor; verum fateor verum, nempe, quod siccine quamvis sit; tamẽ comedens volumen istud, & si factum sit in ore meo sicut mel dulce; amaricatus est venter meus: Eo quod Sancti Officij Doctissimũ Qualificatorem adverterem circa parvitatem in sexto materiæ ad Difficultatem 43. adeo non impugnatorem agentem, quin potius & relinquat illam §. 1. sub dubio, & in probationibus resolutionis, de qua tractat §. 2. & 3. nec non in solutionibus ad obiecta §. 5. Sententia arridente vtatur; atque eius rationibus: Stante sub Sanctissimo Domino nostro Clemente VIII. atque Paulo V. de quo Dian. Coordinat. Tom. 8. Tract. 3. Resol. 21. N. 5. atque Sancti Officij scribentes Authores de rebus, Inquisitionis Sanctæ reluctante Decreto, illico, illico *Scutum* quod me legentem; eius haud valens adiutorio defendi, Martialis aculeo pupugit illo:

Dian. coordin.

Marti. lib. 9. Epigra. 42.

Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens.
Quantum vix animo concipis esse tuo.

Rem tacitus considerabam, & ecce factus est mihi trames abundans apud Torresillas Sapientem in Sum. Tom. 1. Tract. 3. Disp. 2.

Cap.

Cap. 3. Sect. 1. N. 76. & 77. quo, sicut *Torresi.*
Moysi aquæ de Mara amaræ in dulcedinem
versæ sunt, sunt versæ in dulcedinem propriã *Exod.*
pristinam insipidæ, quæ apparere poterant 15 *℣.*
cuique, aquæ doctrinæ salutaris Eruditissimi 25.
Scriptoris *Scuti* Scoti. Maxime accedente
Salmantisensi, Tom. 4. Tract. 13. Disp. 10. *Salmãt.*
Quæst. 74. Dub. 6. in Appendice. §. 2. qui
multis, Torresillas quos item affert citatus, *Torresi.*
dubiæ fidei tenet rationibus validis Decretũ
prænominatum: Immo admisso, Gordios eius
solvit nodos Acutissimus Caramuel Tom. 2.
Theol. Fũdam. Fũ. l. 58. N. 1739. Quod quia *Caram.*
optime calluit, quem latet dogmatum nihil,
Scriptor in nullo carpendus oculatissimus
iste, de hac re, quod scripsit, scripsit, & vn-
dique scripsit scriptum tanquam mel dulce,
tanquam *Scutum* inexpũnabile, tãquam om-
ni lapide prætioso doctrinæ exornatum: Qua-
propter pro dono reverentis filiationis (non
delectu, sed iure) sacrandum venit Parenti,
qui apprime inter cũctas egregias dotes mul-
tiplices Doctissimus insignitur. Rmo. Nos-
tro Presuli Iubilato Fr. Emmanueli de Ar-
guello. Sexcentos auri syclos dedit in lami- *Reg. 3.*
nas *Scuti* vnius Rex Salomon, quatenus *cap. 10.*
prætiosum evaderet, quod sibi *Scutum* dicã- *℣. 16.*

dum

dum erat vt Sapientissimo. Ergo Sapientissime Parens apprehende arma, & *Scutum*, & exurge in adiutorium, vt publicam videat lucem, quod tua quia sub tutela dicatũ prodit Orthodoxæ sinceritati nostræ Fidei conformae, sicuti & bonis moribus, atque Doctrinæ sanæ laminis ex auro purissimo merito exarari erat illi, vti censeo isto Sãcti Hyacinthi Prædicatorum Ordinis in Conventu, atq̃ subscribo tertia decima Iulij die, Anni millessimi, septingentessimi tertij.


Fr. Bartholomeus Navarro à Sancto Antonio.

EXcellentissimus Dominus Dux de Alburquerque, Novæ huius Hispaniæ Pro Rex facultatem huius operis impressioni fuit impartitus suo Decreto 30. Iunij. Anno 1703.

DOmin. licent. D. Antonius de Aunzibay, & Anaya, Metropolis huius Ecclesiæ Mesochorus, Archiepiscopatus que Generalis Vicarius, hoc opus excudi concessit, data facultate 14. Iulij 1703.

IVDICIVM

R. adm. P. Fr. Ioannis de Sierra, *Lectoris Iubilati, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, Iucatanensis Minorum Provinciæ Patris, huius Sancti Evangelij Ex-Diffinitoris, Recollectionis que Sancti Cosmæ Conventus extra Mexici muros*

 *Guardiani* 

PRæsens opus [cui *Scutum contra nefarios Sacerdotes, &c.* inscriptio est] sedulo mẽtis conamine vidi; & præter id, quod nihil sanè non sanum, nihil non consonum, nihil sacris nostræ orthodoxæ fidei dogmatibus, Apostolicis que sanctionibus nõ congruum in eo reperirim; opus plane Auctoris eruditioni, ac doctrinæ consentaneum existimavi. Quippe, si, vt vulgatum fert proverbium, *De ventis nauta, de bobus narrat arator,* vel vt purpuratus, Maximus que Ecclesiæ prologuitur Doctor: *Quod medicorum est, promittunt Medici; tractant fabrilia fabri;* ecquid á Spirituali Medico, quid ab oculatissimo Fidei Tribunalis Censore proprius, aut propẽsius profitendum, expectandum ve foret, quã *Epistol. ad Pau.*

aut

aut salutiferum contra eum, qui serpit vt cācer, æthiticum morbum conficeret paradigma, præservativum que pararet antidotum? aut contra insidiatorem occultum, *in quo plerumque* (Divo Leone maximo teste) *plus pe-*
Serm. 9 de quadrages. *riculi est, quam in hoste manifesta* inexpugnabile veritatis ab acuto Scoto conflaretur Scutum? quo pervigil, ac pugil Confessarius circumceptus, ac circumcinctus *á timore noc-*
Ps. 90. *turno* non perhorrescat, *â sagitta volante in die* haud formidet, & *â negotio perambulante in tenebris* quam tutius sibi præcaveat, & quam cautius sibi provideat; id est, *á levi tētatione manifesta*, nec non & *a gravi occulta*, vt satis concinne ad rem nostram explicat Interlinealis. Scutum sane, quale illud compin-
Ad Ephes. 6. N. 16. git D. Paulus inquiens: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, ignea vere tela, quæ cæcus iaculat ignis, dignum existimo, vt pro communi Confessariorum vtilitate præli incude cudatur, atque conflctur. Sic sentio, *Salvo, &c.* in hoc Recollectionis Sancti Cosmæ extramurali Mexiceo Conventu, hac die 24. Iunij, labentis anni 1703.

Fr. Ioannes de Sierra.

FACULTAS ORDINIS.

FRater Emmanuel de Arguello, Ordinis Minorum, Regularis Observantiæ, Lector Iubilatus, Sanctæ Inquisitionis huius Novæ-Hispaniæ Qualificator, Provinciæque Sancti Evangelij Minister Provincialis, &c. Dilecto nobis plurimum in Christo R. P. Fr. Antonio de Scoto, Lectori Iubilato, eiusdem Sancti Officij proprietario Qualificatori, nostræ præfatæ Provinciæ studiorum generali Regenti, ac eiusdem Pro-Ministro ad Capitulum generale immediate futurum rite electo, salutem.

Cum nobis tuum exposueris opus, cuius titulus est, *Scutum Confessionis contra nefarios Sacerdotes in Sacramentali Confessione pœnitentes fœminas ad turpia provocantes*, authoritate nostra revisum, & approbatum à R. P Fr. Ioanne de Sierra, Lectore Iubilato, Orthodoxæ Fidei Censore, Iucatanensis Provinciæ Patre, olim nostræ Deffinitore, atque Recollectionis Sancti Cosmæ nostri Conventus Guardiano; quod typis mandari desideras, ad id que nostram licentiam postulaveris. Nos de tua sana doctrina, quam multoties experti sumus, aliunde instructi, tibi li-

ben-

benter facultatem facimus harum serie, vt servatis cæteris de Iure servandis, in lucem illud publicæ vtilitati proferre valeas In quorum fidē præsētes litteras, manu propria subscriptas, sigillo q; nostro maiori munitas dedimus Mexici, nostro Sanctæ Mariæ Conventu de la Redonda, die vigessima quinta, Mensis Iunij. Anno millessimo septingentessimo tertio.

Fr. Emmanuel de Arguello.
Minister Provincialis.

Fidem facio
Frater Franciscus de Arguello
Secret.


Loco ✠ sigilli.



Ad Lectorem.

DVM, Iubilationis iam ſuſcepto bravio, Studiórum huius Eparchiæ Generali vacarem Regentiæ, inſimul que Theologiæ Moralis lectioni operam darem hoc in Divi Iacobi Mexici Collegio, operæpretium duxi typis documenta mãdare, quæ alũnis dabam in aula, *Scutum* nempe, *Confeſſionis, in Confeſſarios pænitentes fœminas ad turpia provocantes*; vt non paucis in prælo proſim (quod hic ſerio in Domino exopto) quo non multos erudiebam in clauſtris. Quia cum opus ſit Cõfeſſarijs præ oculis habere caſus, in quibus fœminas à Confeſſoribus ſolicitatas monere tenentur, vt eos Inquiſitoribus denuntient, & non ita diſcriminatim, frequenter ve in Auctoribus inveniantur; vel (quod cer-

certius est) non vbique locorum, vbi ſacri Operarij vineam Domini excolunt, librorum exuberent codices; ex inde manus applicare decrevi ad huius modi exceſſus nuncupatim recenſendum, vt Confeſſoris diſtincte exponerem obtutibus. Quod & ſi Scholaſtico exequar more, brevius tamen quod valeam, atque clarius elaborabo, per difficultates ſolvendo quæ in gravi adeo materia occurere ſolent. Suſcipito ergo, lector, alijs proficiendi latens in opere deſiderium. & ſi opus nihilifacias expreſſum, Vale.



DIFFICVLTAS PRIMA.

Vnde emanarunt leges statutæ contra Confessarios in Sacramentali Confessione fœminas ad turpia solicitantes?

CONDITAS ESSE LEGES in Confessores sic delinquentes compertum est apud omnes, earumdem que legum testatur praxis. Vnde vero originem ducant? Dubium est. Cui.

RESPONDEO huiusmodi leges esse Decreta, & Bullas Pontificias. Num. 1.

In primis Paulus Papa IV. edidit Bullam contra Sacerdotes, qui in actu, vel prope actum Confessionis alliciunt filias spirituales ad actus venereos, obligationem iniungens talibus pœnitentibus eos denuntiandi Sanc-

to Inquisitionis Tribunali; interdumque nullo modo esse absolvendas. Sic refert Hyeronim. Rodrig. in Compēd. resol. XLVIII.

N. 2. Deinde, Paulus V. aliud condidit Decretum (quod refert Illustris. Acuña Archiepiscopus Bracharensis, citatus à Hyer. Rodr. in Comp. resol. CXXXI.) directum ad Inquisitorem Generalem in Regnis Portugalliæ. & Algarbiorum, Romæ datum 16. Septēbris, 1608. contra huiusmodi criminosos, vt, quid de Fide Catholica sentiāt, inquirat, eos que puniat iuxta facultatem sibi à Sede Apostolica concessam contra Hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos.

N. 3. Præfatum Pontificem Paulum V. huic similem pro tota Hispania expedisse Bullam affirmat Portel. verb. *Solicitare*.

N. 4. Insuper Pius IV. Decretum non dissimile fecit contra [illegible]tos Confessarios pro vniversis Hispaniarum Regnis. Il-

lud

lud refert Diana tom. 5. tract. 13.

Postea Clemens VIII. sedens pro N 5.
Tribunali in suæ Maiestatis Solio in Generali Congregatione Officij Sanctæ Romanæ & Vniversalis Inquisitionis, habita Romæ in Palatio Apostolico, 3. Decembris. 1592. confirmavit litteras Pij IV. obligationemque induxit quibus, id noverint crimen, tales denuntiandi Confessores, sicut in alijs casibus, & causis Sanctæ Inquisitionis Christi Fideles iure tenentur.

Postremo Gregorius XV. in Bulla, N.6.
Dominici gregis. Romæ data, 30. Augusti. 1622. non solum confirmat Cōstitutionem Pij IV. contra Confessores allicientes, procurantes, tentantes, & provocantes ad actus inhonestos mulieres pœnitentes, dum earū audiunt Confessiones; verum ampliat, & extēdit ad Confessarios, qui quascumque personas solicitant ad inhonesta, sive inter se, sive cum alijs quomodolibet perpetranda; sive in ipso Confessionis

actu, sive immediate ante, vel immediate post; sive occasione, vel prætextu Confessionis, quamvis ipsa Confessio re ipsa non sequatur; sive extra occasionem Confessionis; sive in Confessionario, vel loco deputato ad audiēdas Confessiones.

N.7. Quam quidem Cōstitutionem non solum pro Regnis, Civitatibus, & Diœcesibus Hispaniarum Summus Pontifex expedivit, vti Pius Papa IV. fecit; verum & eius fecit ampliationem ad Vniversi Orbis Christiani partes.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Quæ personæ; quibus temporibus; sub quibus que pœnis notificare debeant leges contra Solicitantes?

N.8. *RESPONDEO* vniversos cuiusvis Ordinis Superiores, Congregationis, Societatis Regularis, aut cuiuscumque alterius Instituti in perpetuum teneri sub pæna privationis Officij, vocis activæ, & passivæ ipso facto incur-

carrenda, alijs que infligendis suæ Sãctitatis arbitrio, semel saltem in Anno, idest, feria sexta post Assumptionis octavam Beatæ Mariæ semper Virginis, in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, commonere de huiusmodi Decreti observantia, & executione. Insuper que id ipsum facere esse obligatos in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio generali congressu. Ita fuit constitutum, ac determinatum à Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis, habita 14. Aprilis, 1633. Coram Sanctis, Domino nostro Papa Vrbano VIII.

Nec prætereundum est dicere loco N. 9. rum etiam Ordinarios obligatos esse legere, & intimare dictam Constitutionem Gregorij XV. Sacerdotibus approbandis ad Confessiones audiendas in ipso approbationis actu, de mandato eiusdem Vrbani VIII. per litteras

subs-

ſubſcriptas Cardinalis Mellini, die 3. Octobris, 1626. teſte Peyrino in Privileg. Minimor. tom. 2. conſtit. 4. Gregorij XV. §. 9. n. 34.

N. 10. Neque etiam omittere licet huiuſmodi præfatos num. 8. Superiores teneri ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privationis quarumcumque Dignitatum, Officiorum, vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæ inhabilitatis ad eaſdem, ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis; quarum abſolutio, relaxatio, ſuſpenſio, vel diſpẽſatio Pontifici eſt reſervata, ſemel ſaltem ſingulis annis Kalendis Martij in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato curare, vt legatur, & notum fiat Decretum Congregationis Generalis Sãctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico, die 8. Iulij. 1660. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro Papa VII. in quo præcipit monendos eſſe vniverſos Chriſti Fideles ad denuntiandum Hæ-

Hæreticos, vel de fide suspectos, nec retrahi, aut retardari debere à denunciatione *prætextu correctionis fraternæ*(vel alio quovis prætextu; vt antea cōstituerat Paulus Papa V. in Bulla *Roman. Pont.* 1. Septēbris. 1606. cuius Decreti innovatio hæc est, immo & declaratio; nisi quod nō dū *correctionis fraternæ prætextus* fecerat mentionem.) Similiter q́ eosdem Superiores obligatos esse curare, & efficere, vt huius Decreti exempla in aliquo loco publico apud eos affigantur, & affixa conservētur, ita vt ab eisdem omnibus Religiosis videri, ac legi commode valeāt. Ita refert Lātusc. in Theatr. Regular. verb. *Cōgreg. Sāct. Officij.* idemq́ in Bullar Cherub. to. 5. *licet alias.* 1660. N. 11.

DIFFICVLTAS TERTIA.
Quid sit fœminas ad actus inhonestos solicitare?

Ad rectam cuiuslibet sciētifici trac- N. 12.

tatus intelligentiam necessario est præmittenda perfecta terminorum explicatio. Cum autem Summorum Pontificum Decreta hac de re loquentia, his vtantur verbis, *ad actus inhonestos, ad turpia, alliciendo, provocando, tentando, procurando*; vt videre est in Bullis Pij IV. *Cum sicut nuper*. 16. Aprilis, 1561. Et Gregorij XV. *Vniversi Dominici gregis*. 30. Augusti, 1622. ideo hæc in præsenti movetur difficultas, duas in partes divisa. Prima rogat, quid sit fœminam *solicitare, allicere, provocare, tentare, procurare*? Secunda inquirit, quid per *turpia, & actus inhonestos* veniat intelligendum?

N. 13. *RESPONDEO* primæ parti (omissa Grammaticorum significatione, in quorum vsu *allicere* est blanditijs attrahere: *provocare*, ex loco interiori foras vocare: *solicitare*, est inquietare, & curam inijcere promissis, factis, vel spe aliqua ostensa; vt videndum

dum est apud Calepinum suis in locis) hæc vocabula *solicitare, allicere, provocare, tentare, & procurare*, apud Theologos, & Iurisperitos significare *diligentiam qualemcumque adhibere ad aliquid consequendum*. Constat ex cap. *Solicitatores*. De Pœnit. dist. 1. & cap. *Si quis tam fæminam*. Cap. *Si quis non dicam*. Cap. *Nemo*. eodem tit. Angelic. Doct. secunda secundæ, quæst. 47. artic. 9. & quæst. 97. Silvestro in Summa, verb. *Solicitudo*. Et verb. *Tentare*.

AD SECVNDAM vero partem dico *turpia*, & *actus inhonestos* esse illos, qui contra pudicitiam exercentur, nempe, actus venereos, & eos circumstantes, vt sunt amplexus, oscula, tactus, & aspectus. Ita communiter Doctores. N. 14.

Nota tamen, quod cum huiusmodi actus, oscula, amplexus, tactus, & aspectus non sint intrinsece mali, sed natura sua indifferentes, tripliciter conci- Nota.

ci-

ciderari possunt Primo, secundum se, vt abstrahunt à delectatione; in quo sensu non sunt peccata; possunt etenim fieri propter consuetudinem Patriæ; vt amplexus in hac Nova Hispania; oscula in Gallia, quibus invicem salutātur; aspectus pudendorum in ægrotis medendi causa, vel in tranantibus flumina; tactus, & oscula in pueris propter naturalem teneritudinem; alia que huiusmodi. Secundo, quatenus fiunt propter delectationem sensitivam ad concubitum ordinatam; & sic extra Matrimonium sunt peccata mortalia. Tertio demum prout exercentur delectationis causa, sistendo in ea, nec vltra progrediendo ad veneris actum in qua etiam acceptione illiciti, & peccaminosi censendi sunt. Illa vero delectatio iudicanda est libidinosa, atque
N. 15. venerea, consequenter que prohibita, quæ spiritus commovet generationi inservientes. Sic Caiet. Armilla, Tabiena, Mastrius, & alij.
Nota.

Vn-

Vnde turpia, & actus inhonesti, de quibus loquuntur Decreta Pontificia, sunt actus venerei, & qui eos circumstant, prout in secunda, & tertia acceptione conciderantur. N. 16.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrum Confessarij teneantur monere pœnitentes, quorum Confessiones Sacramentaliter excipiunt, quos noverint fuisse ab alijs solicitatos, de obligatione denuntiandi Confessores solicitantes Dominis Inquisitoribus?

RESPONDEO esse obligatos ad exhortandum, & docendum fœminas solicitatas, vt denuntient Confessarios, qui eas ad turpia solicitarunt. Patet ex ipsa littera Decreti Pontificij Gregorij XV. iam citati, vbi inquit: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alijs, vt supra, solicitatos, moneant* N. 17.

aut de obligatione denuntiandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, &c.

DIFFICVLTAS QVINTA.

An Confessores, qui prætermiserint monere pœnitentes solicitatas, vt solicitantes denuntient; vel eos docuerint non teneri ad denuntiationem faciendam, subiaceant Inquisitorum Iudicio?

N.18. *RESPONDEO* subiacere, ab Inquisitoribus que fore puniendos. Cõstat etiam in ipso eiusdem Constitutionis textu nuperrime citatæ, per hæc verba: *Quod si hoc officium prætermiserint* (loquitur de monitione erga denuntiationem faciendam) *vel pœnitẽtes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt supra; idem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

DIF-

DIFFICULTAS SEXTA.

An liceat Confessario pœnitentem solicitatam absolvere, quin prius Confessorem solicitantem denuntiet?

RESPONDEO eam absolvere non licere, ante quam ipsum denuntiet. Probatur: quia in Edicto Inquisitorum præcipitur, vt in casibus Inquisitionis remittendus sit pœnitens ad eorum Tribunal, vt prius denuntiet. N. 19.

Probatur secundo à paritate rationis; non est absolvendus concubinarius, cui imposita est excommunicatio eijciendi à se cõcubinam, nisi prius eam è domo expellat: ergo non est absolvenda fæmina solicitata, cui imposita est excommunicatio denuntiandi Confessorem solicitantem, nisi prius illum denuntiet. N. 20.

ADVERTENDUM tamen est, nostram dictam resolutionem, non ita absolute, sed cum quadam limitatione intelligendam esse: casu enim quo N. 21. Nota.

ra-

rationabilis, atque iusta intercedat causa, propter quam prudenti Confessario videatur denuntiationem esse differendam, potest illam absolvere, ante quam denuntiet, præsertim si pœnitens sit timoratæ conscientiæ, & promittat, quam citius poterit, denuntiare. Ita Emmã. Rodr. to. 2. c. 34. Peyrin. to. 1. Cõst 5. Greg. XV. § 9. n. 24 Sanctarell. tr. de Hæres. c. 9. dub. vn. n. 16. Sancius in Select. disp. 11. n. 62. Alij q.

DIFFICVLTAS SEPTIMA.

An sit obligatio denuntiandi Confessarium ad turpia solicitantem, in quocumque, qui de tali crimine conscius esset.

N. 22. *RESPONDEO* vniversos Christi Fideles, etiam quomodolibet exẽptos, esse obligatos ad eum denunciandum. Patet ex Decreto Generalis Cõgregationis Officij Sanctæ Romanæ,

&

& Vniversalis Inquisitionis habitæ coram Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa VIII. Romæ in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum, 3. Decembris, 1592. *Ipsos que Regulares* (inquit) *non eximi ab onere deferendi, seu denuntiandi huiusmodi delinquentes* (loquitur de solicitantibus) *eidem Sancto Officio, quemadmodum in alijs casibus & causis Sanctæ Inquisitionis, in quibus alij Christi Fideles de iure tenentur, sed ad ipsum, sicut aliàs, teneri, & obligatos esse.*

DIFFICVLTAS OCTAVA.

Quas pœnas incurrant, qui solicitantes non denuntiant?

RESPONDEO esse excommunicatos excommunicatione maiori latæ sententiæ, ipso facto incurrenda, Pontifici reservata. Probatur: extat N.23. præceptum Sanctæ Romanæ Vniversalis Inquisitionis sub die 3. Ianuarij, 1623.

1623. de iudicialiter hæreticis denuntiandis, seu de hæresi quomodolibet suspectis, sub pœna dictæ excommunicationis; sed Confessarij solicitantes ad turpia pœnitentes sunt de hæresi suspecti, vt docent Acuña de Confes. Solic. q.2. Castr.Pal.tr.4.disp.9.punc. 6.n. 1. et alij: ergo qui eos non denuntiant præfatam pœnam incurrunt.

N.24. Contradicunt: huiusmodi præceptum Sacræ Congregationis non fuit perpetuum, proponitur enim sub nomine *præcepti*, & non *Decreti*: ergo non denuntiantes tales delinquentes non incurrunt dictam censuram.

N.25. *RESPONDEO, præceptum, & Decretum* sæpius in iure confundi. Probatur ex Constitutione Sixti V. circa agitationes taurorum; vbi postquam Pontifex retulit quandam Constitutionem Pij V. & aliam Gregorij XIII. ait: *Nos, vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiliter obseruentur.* Vbi *Constitu-*

tio-

tiones perpetuas Pontificum vocat *præcepta*: ergo non obeſt ad perpetuitatem dictam cenſuram proponi ſub terminis, & nomine *præcepti*.

DIFFICVLTAS NONA.

Vtrum fœminæ ſolicitatæ ſemper obligatæ fuerint ſub mortali denuntiare Confeſſarium ſolicitantem?

RESPONDEO ſemper ipſas eſ- N. 26.
ſe obligatas ad denuntiãdum ſub mortali culpa. Quod ad præſens attinet, clare colligitur ex verbis præfatæ Bullæ Gregorij XV. quibus præcipit omnibus Confeſſarijs ſub pœnis ab Inquiſitoribus imponendis, vt ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab alijs ſolicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſolicitantes.

Probatur ſecundo etiam teneri dic- N. 27.
tæ denuntiationi indepedenter á præfata Conſtitutione; quamvis enim in tenore aliarum Bullarum, ante illam

Gregorij XV. nullum intimabatur præceptum fœminis solicitatis denuntiãdi Cõfessores ipsas solicitantes; tamen dictæ Bullæ fuerunt vsu receptæ cum obligatione denuntiandi Confessarios sub onere peccati mortalis; sed consuetudo est optima legum interpres ex c. *Cum dilectus*, de Consuetudine: ergo sub mortali tenentur pœnitentes solicitatæ denuntiare solicitantes.

DIFFICVLTAS DECIMA.

An fœmina, quæ iam excommunicationem incurrit, quia non denuntiavit Confessarium, qui eam solicitavit, sit virtute Bullæ Cruciatæ â censura absolvenda, si promittat denuntiandum ire, vel ipsi retardanda sit absolutio, quousque denuntiet?

N. 28. *RESPONDEO* non esse absolvẽdam, sed remittendam, vt antea denũciet. Probatur: quia in re tam gravi non

esse

est adhibenda fides promittenti denũtiare, dum semel promisit, & promissum non implevit. Sicut absolvendus non est concubinarius, cui imposita fuit excommunicatio, vt eijceret concubinam, & semel promisso eam expellendi. postea non ejecit.

Arguunt contra: retinens rem alienam potest bis, terq. absolvi cum proposito domino restituendi: ergo similiter in nostro casu satis erit propositum denuntiandi, quamvis antea defecerit pœnitens. Confirmatur: contumax, eo quod non vult in Iudicio cõparere, absolvi tamen potest, si præstiterit cautionem de stando Iudicio: ergo à simili dicendum venit. N 29.

Respondeo negando vtriusque casus paritatem; in illis enim solum statur Iuri communi, & præcise attenta natura præcepti. In nostro vero casu vltra id, adest imposita excõmunicationis pœna; & cum nemo à peccatis absolvi valeat, nisi à censura N. 30.

 antea

antea ſit immunis; & à cenſura abſolvi nequeat, niſi parte prius ſatisfacta; exinde fit fæminam minime fore abſolvendam, quæ negligentem ſe fuiſſe in delatione criminis confitetur, quā vis præſtet fidem ſe ſtatim denuntiaturam, donec antea media delatione parti ſatisfaciat, nempe, Inquiſitionis Sacro Tribunali.

DIFFICVLTAS VNDECIMA

Vtrum ſint denuntiandi Confeſſores ſolicitantes, qui de tali delicto non ſunt infamati?

N.31. *RESPONDEO* denuntiandos eſſe. Ita Acuña cit. q. 4. n. 4. Peyrin. in Privil. Minim. to. 2. Conſt. 4. Greg. XV §. 3. Caſtr. Pal. to. 1. tr. 4. diſp. 9. punct. 10. Portel. in addit. ad Dub. Regul. verbo *Solicitare*. Et alij plures cōtra valde paucos. Probatur. In crimine hæreſis poteſt fieri inquiſitio, licet contra reum nulla præcedat infamia, vt docent

cent Simanch. in Cathol. Instit. tit. 43. n. 9. Pegna in Direct. Inquis. p. 3. comment. 16. Et alij: ergo & in crimine suspicionem hæresis generãte, qualis est solicitatio. Confirmatur: aliàs enim destruerentur Constitutiones Pontificiæ, praxis que Tribunalis Inquisitionis periret.

Contra arguunt: Pontificum Decreta hæc proferunt verba: *Confessores quomodolibet diffamatos*: ergo vbi non præcedit infamia, non est deferẽdum crimen ad Inquisitionis Tribunal. Probant consequentiam: Constitutio pœnalis non est extendenda vltra verborũ latitudinem, iuxta Regul. *Odia.* de Regul. Iuris in 6. Et ex L. *Cum quidam.* de Liberis, & Posthum; sed Decreta loquũtur de infamibus: ergo non sunt extendenda eorum verba ad non diffamatos. N. 32.

Respondeo cum Acuña Decreta Pontificum non loqui de vera, & rigorosa infamia; qualiscumque enim sufficit, N. 33.

fficit, ex cap. *Statutum*, de Rescrip. in 6. §. *In nulla*. Et ex c *Indemnitatibus* de Elect. in 6. §, *Sane*. Ex ipsis que Bullæ verbis, *quomodolibet diffamatos* ad quamlibet autem infamiam sufficit quod non habeat Confessarius integram, & illæsam famam, sed vulneratam per notitiam fœminarũ, in qua præsertim est in periculo proximo publicitatis.

DIFFICULTAS DVODECIMA

Vtrum præcedere debeat correctio fraterna, antequam fœmina solicitata denuntiet Confessarium solicitantem?

N 34. *RESPONDEO*, quod non debet antecedere correctio fraterna; sed statim est denũtiandus. Est quam pluriũ contra multos. Probatur á priori. Inquisitorum Edicta non minorem habent vim, quam lex Canonica; cum potestas istius Tribunalis Apostolica Auc-

Auctoritare fulciatur; sed præceptum positivum denuntiandi hæreticum, & Confessorem solicitantem, aliaq́ crimina in Edicto contenta, fraterna correctione omissa, immediate oritur ex præcepto imposito per Edicta Inquisitorum: ergo illico est ipsi obediendum, sicut & Canonicæ Legi.

Probatur secundo: quamvis ante denuntiationem Evangelicam præcedere debeat secreta monitio, non est tamen necessaria, quando via accusationis proceditur, ex c. *Qualiter quando.* de Accusat; sed denuntiatio, quæ præcipitur facienda in Edictis Inquisitorum, non est Evangelica, sed Iudicialis, similis quo ad finem, & effectum accusationi: ergo ante ipsam non est præmittenda correctio fraterna. Probo minorem; denuntiatio Evangelica tendit ad fratris emendationem; sed denũtiatio, quæ præcipitur in Edictis, tēdit, sicut accusatio, ad eius punitionem, & aliorum exemplar, vt ipsa firmat Inquisionis N. 35.

quisitionis praxis: ergo non est Evangelica, sed Iudicialis, eiusdem rationis quo ad finem, & effectum cum accusatione; & consequenter ipsam non debet antecedere correctio fraterna.

N. 36. Probatur vltimo ex ipsa Generali Congregatione Sanctæ Romanæ Vniversalis Inquisitionis, habita sub Alexandro VII. die 8. Iulij. 1660. quæ decernit retardandam non esse denuntiationem erga hæreticos, vel de fide suspectos, prætextu correctionis fraternæ, sed ea etiam omissa denuntiandos esse; sed Confessores ad turpia solicitantes sunt de hæresi suspecti, vt supra dixi, & infra latius dicam: ergo denũtiãdi sunt, etiam nulla correctione præmissa.

N. 37. Arguunt contra. 1. Præceptum correctionis fraternæ est de Iure naturali, quo membra vnius corporis se mutuo iuvare tenentur, vt inquit Apostolus in prima ad Corint. c. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia*

omnia membra. Immo & de Iure Divino, iuxta illud Math. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Vnde Innoc. III. cap. *Novit.* de Iudiçijs, appellat hoc mandatum *divinum.* Eccles. que 17. dicitur: *Vnicuique mandavit Deus de proximo suo*; sed præceptum denuntiationis omissa correctione fraterna est humanum: ergo non potest prævalere adversus præcepta Iuris naturalis, & Divini; consequenter que non est denuntiatio facienda sine prævia correctione fraterna.

Respondeo præceptum denũtiationis fraterna correctione omissa neq; esse cõtra legem naturæ, neque cõtra formam legis Evangelicæ; quia, vt inquit Tullius 1. Rethor. c. 9. *Ex vtilitate Reipublicæ, non ex legis inspectione, quæ in litteris est, leges interpretari debent, ob quam institutæ sunt.* (Hoc enim est proprie Epicheia ex Arist. 5. Ethic.) Cum autem solicitatio, N. 38.

tatio, ſicut & alia crimina ad Inquiſitionis Tribunal ſpectantia ſint in Catholicæ Reipublicæ perniciem, everſionem que Chriſtianæ Religionis fundamenti, & periculum ſit in mora; facile enim propagatur hoc crimen (quia vt inquit Apoſt. de hæreticis. 1. ad Timot c. 2. *Sermo eorum vt cancer ſerpit*) retardãda non eſt denuntiatio, immo & ea facienda adhuc correctione omiſſa Aliam vide valde bonam ſolutionem infra datam.

N. 39. Inſuper, correctio fraterna nobis eſt data ſub præcepto affirmativo; præceptum vero affirmatium ſemper obligat, ſed non pro ſemper. Confirmatur: Ordo correctionis fraternæ à Chriſto ſtabilitus eſt iſte, vt delinquens prius admoneatur ſecreto, quam adhibeatur teſtis, & prius teſtis afferatur, quam Iudici denuntietur; ſed hic ordo correctionis non obligat in omni eventu, ſed licitum eſt eum omittere, alium que corripiendi modum adhibere, qui iuxta

ta occurrentes circumstantias efficatior iudicetur ad fratris correctionem, ex Div. August. serm. 16. de Verbis Domini: *Discernere debemus aliquando istud, aliquando illud esse faciendum; aliquando corripiendo fratrem inter te, & ipsum solum; aliquando coram omnibus*: ergo & similiter correctio fraterna aliquando omittenda erit, prout videbitur expedire, vt in solicitatione, cæteris que casibus Inquisitionis.

Arguunt 2. Præmittenda est in ali- N. 40.
quo casu correctio fraterna, antequam solicitans sit denuntiandus: ergo nostra conclusio non est absolute tenenda. Probatur antecedens; casu, quo iudicetur correctio fraterna profutura solicitanti, & ab ipso detur spes emendæ, non est omittenda; sed ex qualitate corrigentis, & conditione corrigendi colligi potest spes emendationis: ergo in hoc casu non est omittenda. Probatur maior; præceptum de correctio

ne

ne fraterna obligat, quando speratur emendatio; sed in præfato casu datur spes; ergo non est omittenda.

N.41. Respondeo, quod quamvis profutura sit correctio, & firmiter credatur media ipsa Confessorem solicitantem se emendaturum; tamen nec propter id excusabitur fœmina á denũtiatione: quia quamvis stando in solo iure naturæ posset quis cessare à denũtiatione in crimine hæresis, vel illam olentibus, (qualis est solicitatio) si iudicet per secretam monitionem fore emendaturum; quia tamen Inquisitorum Edicta publicantur de denuntiatione facienda, nulla prævia monitione; obediendum est præcepto: Inquisitores enim nolunt committere fœminis denuntiaturis iudicium de spe emendationis; sed sibimet ipsis reservant, qui tanquam litterati, & in istis rebus experti maturius rem conciderabunt.

N.42. Respondeo secundo in his

casibus

casibus nullam esse prudentem spem de Cõfessoris conversione; & aliàs est prudens opinio de gravi fidelium damno: quia quem non terrent Vniversæ Ecclesiæ fulmina excõmunicationis, aliarum que pœnarum imminentium, quibus iustissime Ecclesia invehitur in similes delinquẽtes, & quos non coercet tam mirabilis Ecclesiæ solicitudo in ipsis perquirendis: quid existimanda est profutura privati hominis secreta exhortatio? Illam irridebit, & timore supplicij se facile simulabit conversum.

DIFFICVLTAS DECIMA TERTIA.

Vtrum Confessor solicitans sit denuntiandus, etiam si delator crimen probare non posset?

RESPONDEO esse denuntiandum. Probatur: quia huiusmodi crimen solum inter solicitantem, & solicitatã perpetratur, ratione cuius redditur N. 43.

ditur improbabile: ſed hoc non obſtãte in Edictis Inquiſitorum præcipitur huius criminis denuntiatio: ergo.

N. 44. Probatur ſecundo: quia quamvis denũtiator, iure teneatur ſuam probare denuntiationem ex l. *Diuus*, & l. *Ab accuſatore*. ff. Ad Senatus conſult. Turp. hodie tamen conſuetudo abijt in contrarium, vt probat Eymeric in Direct. Inquiſ. p. 3. Farinac. tr. de hæreſ. q. 185. §. 5. Et quidem rationabiliter; quia cum ſimplex denuntiatio ſufficiat ad inquirendum; licet denuntiator probare nõ poſſet delictum, per illam tamen diligentiã, & cura adhibebitur à Dominis Inquiſitoribus ad inquirendum de delicto, & ſic de remedio providebitur.

N. 45. Probatur tertio; quia ex generaliſſima conſuetudine Sanctæ Inquiſitionis denuntiator habetur pro teſte in eius Tribunali, vt advertit Carena in Praxi Sãct. Offic. p. 3, tit. 1. ſed teſtes non ad promovendum Iudicium, inſtar-

tar accusatorum, sed ad aperiendam veritatem, & faciendum Iudicij fidem advocantur ex l. 3. §. 1. ff. de Testibus; ergo denũtiator occulta etiam improbabilia tenetur revelare.

Neque obstat, quod ex denuntiatio- N. 46.
ne sequi posset, sequatur ve infamia, aut læsio aliqua denuntiati: præponderat namque publica vtilitas principaliter prætẽsa, & præfertur privatæ; recta que id suadet ratio: alias dum vnius fama conservaretur, vniversi, vel saltem plerique detrimentum sentirent, & in discrimen adducerentur, vt advertitur in c. *Sed illud*, dist. 45. *Quæ est ista bonitas: quæ ista misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere?*

DIFFICVLTAS DECIMA QVARTA.

An solicitantes iam emendati sint denuntiandi?

RESPONDEO deberi denũtia- N. 47.
re.

re. Ratio est, quia denuntiatio contra huiusmodi delinquentes iudicialiter debet fieri: nec solum fuit instituta ad eorum emendationem, sed etiam ad pœnam pro crimine luendam, vt tam ipsi, quam cæteri á tali excessu retrahantur.

N.48. Contradicent: cessante causa cessat effectus; sed causa obligationis denutiandi solicitantes est, vt ipsi retrahantur á crimine: ergo emendati non sunt denuntiandi.

N.49. Respondeo 1. finem denuntiationis non esse solumproximi emendationem, sed delicti commissi punitionem, vt iam dictum est; & sic semper est denuntiandus adhuc eo emendato.

N.50. Respondeo secundo, non esse dabile cognoscere, quando quis fuerit emendatus; quia neque Confessio Sacramentalis probat in istis emendationem, vt aiebat Felinus: neque consecutio Iubilæi, vt tenet Genuensis: neque

que per triennium bene vixerit, vt putabant Homobonus, Freitas, & alij: quia licet in alijs casibus sit verosimile; in crimine tamen hæresis, aut hæresim sapienti non est fidendum; hæretici enim sũt valde subdoli, & vt vulpeculæ intendunt demolire vineam, vnde citius capiendæ sunt sine mora.

DIFFICVLTAS QVINTA DECIMA.

An si Confessarius post solicitationem factam statim pœniteat se solicitasse, sit denuntiandus?

RESPONDEO denuntiandum esse. Probatur: quod factum est, nequit non fieri, ex l. *In bello.* §. *Factæ.* ff. de Cap. & Postlim. rever. ergo eo ipso quo solicitavit, iam incurrit pœnas. Deinde, ad fugiendam denuntiationẽ potest dicere se pœnituisse de solicitatione facta. Postremo, quia quamvis revera pœniteret, denuntiandus est N. 51.

adhuc, propter rationes, quas attuli pro emendato.

DIFFICVLTAS SEXTA DECIMA.

An, si quis sub sigillo naturali sciat mulierem fuiße à Confessore solicitatam, teneatur eum denuntiare?

N.52. *RESPONDEO* denũtiare teneri; etiam si secretum promissun fuerit cum iuramento servandum. Probatur: nullum iuramentum promissorium cadens in damnum tertij, vel Reipublicæ obligat; immo adaperire tenetur non minus, ac si non promisisset; sed expedit Christianæ Reipublicæ bono tales Cõfessores punire: ergo non est eis servandum sigillum adhuc cum iuramẽto firmatum.

N.53. Contradicunt: fortius vinculum Iuris naturalis prævalere debet minus forti Iuris positivi; sed servare sigillũ naturale est de Iure naturali; denuntia-

tio

tio vero est de Iure positivo: ergo stãte sigillo naturali non debet quis denuntiare.

Respondeo in præsenti casu non cõcurrere Ius positivum cum Iure naturali; sed Ius naturale nudum de consulendo bono, & famæ proximi monendo ante denuntiationem, cum Iure naturali potiori de consulendo bono cõmuni, denuntiando, & cum securitate vitando fugam; quod non est dubium esse de lege, & Iure naturali præcipuo; & non quidem nudo, sed insimul cum Iure positivo, & præcepto Inquisitorum de statim denuntiando. Vnde qui ante correctionem denuntiat, & præceptum Iuris communis servat, & simul positivũ Inquisitorum adimplet. N. 54.

DIFFICVLTAS DECIMA SEPTIMA.

Vtrum quis teneatur denuntiare Confessarium solicitantem, si hoc non so-

lum à fidedignis personis audivit; sed etiam á levibus, parvi nominis, & æstimationis?

N.55. *RESPONDEO* teneri ad denũtiandum. Si enim à fidedignis audivi, clarissimum, & compertum est apud Doctores obligatum esse. Si vero audivit à personis parvi momenti, probo etiam teneri denũtiationi: quia etsi nemo teneatur peccatum denuntiare, quod audivit á personis non fidedignis; tamen si communi bono noceret, tunc cum dubio, & levitate referentium deferre debet Iudicibus; sed solicitatio communi bono nocet Ecclesiæ: ergo & si eam audivit à levibus personis, sic denuntiare debet Inquisitioni.

N.56. Confirmatur á paritate: in Tribunali Sancti Officij contra reos admittuntur testes, aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminosi, infames, periuri ex c. *In fidei favorem*, de Hæret. in 6. quia crimen hæresis, vel illam sapiens

est

eſt ita grave, & Reipublicæ pernicioſum; vt ſic facilius delictum puniri poſſit, & extirpari: ergo delicta in Edicto contenta Inquiſitoribus ſunt denuntianda, etiam ſi eorum notitia pervenerit ad aures ex ore hominis infimæ conditionis, & famæ, vt ſic Iudices procedere poſſint ad ea inveſtiganda.

DIFFICVLTAS DECIMA OCTAVA.

Vtrum ſolicitans teneatur denuntiare ſe ipſum?

RESPONDEO non teneri. Eſt communiſſima inter Doctores; in Iureque expreſſa; quia nemo tenetur ſe prodere, ex c. *Aliquando.* de Pœnit. diſt. 1. N. 57.

Contradicunt: ergo neque fœmina consentiens ſolicitationi factæ á Confeſſario in Confeſſione tenebitur denũtiare Confeſſorem, contra infra dicendum. Probatur conſequentia: impoſſibile N. 58.

sibile est moraliter loquendo quempiam manifestare sui criminis complices, quin & se ipsum manifestet deliquisse; sed nõ tenetur se prodere: ergo neque fœmina consentiens denuntiare solicitantem. Probatur maior; si Elisabeth consentiens manifestet Petrum se ipsam solicitasse. factibile est Petrum postea ab Inquisitoribus interrogatum manifestare vt reum Elisabeth suæ solicitationis fuisse complicem: ergo.

N.59. Respondeo imprimis fœminam non teneri manifestare se consensisse solicitationi factæ à confessario; neque super hoc ab Inquisitoribus est interrogãda; quia non est crimen spectans ad forum huius Tribunalis.

N.60. Vnde neque alicui mulier subesset pœnæ, neq́ sua fama pateretur iacturam in denuntiando, immo semper vadit illæsa; quamvis enim casu, vel concilio suum manifestet Inquisitoribus consensum, vel manifestetur à Confessario

ſario complice ſolicitante, non debet in actis, & proceſſu ſcribi, ſed ſemper manebit occultus in magno illo, mirabilique Tribunalis ſigillo.

DIFFICVLTAS DECIMA NONA.

An fœmina conſentiens ſolicitationi factæ á Confeſſario teneatur eum denuntiare?

RESPONDEO teneri. Ita Acuña tr. de Confeſſ. Solic. q. 10. Bonacina, Peyrin, Sanctarel, quod probatur ex quadam Epiſtola Cardinalis Mellini directa ad Federicũ Cardinalem Borromæum Archiepiſcopum Mediolanenſem; cuius tenorem affert Diana to. 5. tr. 9. reſol. 54. N.61.

Probatur ratione: quia in tali caſu fœmina conſentiens ſolicitationi neq; vlli ſubiacet pœnæ; cum non ad Inquiſitionis forum eius crimen ſpectet; neque N.62.

que eius patitur opinio; vt iam dixi, modo que dicam.

DIFFICVLTAS VIGESSIMA.
An fœmina, quæ in Confessione solicitavit Confessarium, sit ab ipso Confessore denuntianda, vel ab alijs, qui id noverint?

N.63. *RESPONDEO* à nemine denūtiari debere. Probatur; quia Constitutiones Pontificum contra solicitantes fulminatæ diriguntur ad Confessorum audaciam, & iniquitatem effrenādam; sed hoc scelus raro contingit in fœminis, adhuc extra Confessionem, vt testatur experientia: ergo de Confessoribus, non de fœminis Pontificum diplomata disponunt: leges enim humanæ ea, quæ frequentius accidere solent, conciderant.

N. 64. Confirmo: Constitutiones pœnales non sunt ad alium casum extendendæ ex c. *Statutum*. de Elect. Et l. *Cum quidam.*

dam. ff. de liber. & Posthum. tenent q̃ Barbos. de Potest. Episc. p. 3. alleg. 102. Castr. Pal. de leg. pœn. lib. 1. c. 7. docum. 3. Sanches de Matrim. to. 3. lib. 10. disp. 4. Vnde in Edictis pœnalibus non valet argumentum à pari, à simili, neque à contrario sensu: quod probo: Pœna stabilita contra virginum raptores in l. *Vnicæ.* C. de rap. virg. non habet locum, quando virgo rapit virum, vel vir virum, vt fere omnes fatentur; sed Pontificum Decreta sunt immediate contra Confessores solicitantes: ergo non sunt exstendenda ad fœminas pœnitentes casu, quo solicitent. Roboratur: fœmina, & mas opponuntur ex l. *Sed & si quis.* §. 1. ff. de Institutoria actione; maxime in pœnalibus, quæ proprium, & expressum casum non egrediuntur.

Contradicunt: non minus vulnerat Sacramenti respectum Confessarius solicitans fœminã, quam fœmina provocans Confessarium; ille est denuntiandus: ergo & ista. N. 65.

Res-

N.66. Respondeo nihilominus fœminam non debere denuntiari propter signatas rationes.

DIFFICVLTAS VIGESSIMA PRIMA.

Vtrum, si Confessarius à fœmina solicitatus consentiat solicitationi, sit denuntiandus?

N.67. *RESPONDEO* esse denuntiandum. Est contra Santarell. tr. de hæres. c. 46. n. 6. Sancium, Bonac. Homobon. & alios. Probatur ex l. *Qui cum vno §. Qui filium*. ff. de re milit. *Qui se solicitari ab alio passus est, veniam non meretur*. Vnde notat Rebuff. in l. *Quibus* verbo *Solicitari*, de Verb. signif. eadem pœna teneri, qui alterius solicitatione militiam deseruit, ac ipsum desertorem.

N.68. Probatur 2. quia Gregor. XV. in sua inquit Constitutione denuntiandos

dos esse Confessarios, qui cum pœnitente inhonestos, & illicitos sermones, sive tractatus habuerint; sed qui solicitationi consentit, hoc facit verbis, nutibus, aut opere inhonesto, vt suum ad aperiat fœminæ consensum: ergo.

Arguunt contra: solicitatio supponit preces, & postulationes prærequisitas; ideoque Pontifices in suis Decretis his verbis vtuntur: *allicere, solicitare, provocare, tentare, procurare*; sed Confessor prius solicitatus non allicit, non rogat, non provocat, non tentat, non procurat: ergo non est denuntiandus. N. 69.

Respondeo verum esse argumentum stando in terminis Bullarum Pij IV. Pauli V. & Clem. VIII. qui præfatis in argumento vtuntur verbis. Falsum vero inspecto tenore Decreti Gregorij XV. qui vltra id à suis Prædecessoribus prohibitum, vetat quoslibet tractatus, sermones que inhonestos in Sacramentali Confessione. N. 70.

DIF-

DIFFICVLTAS VIGESSIMA SECVNDA.

An Confessarius, qui metus causa cõsentit solicitationi factæ â muliere pœnitente, sit denuntiandus?

PONAMVS CASVM. Cõfessarius vocatus à fœmina ægrotãte pro eius Confessionibus audiendis, solicitatur illo tunc ab ipsa, minas superaddendo se exclamaturam vim sibi ab illo inferri, nisi suæ turpidini consentiat; propter cuius metum Confessarius solicitationi consentit. Quæritur in hoc casu, an Confessarius sit denuntiãdus?

N. 71. *RESPONDEO* esse denuntiandum. Ita Carena. p. 2. tit. 6 §, 19. Corro & alij, contra Sancium. Ianuar, Freitas & multos. Ratio est: si aliquid excusaret huiusmodi Confessarium á denuntiatione, maxime iustus metus cadens in virum constantem; sed talis metus non potest esse in Confessario con-

consentiente solicitationi metus causa: ergo est denuntiandus. Minorem probo: ex Angelico Magistro in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. in corpore, metus constans differt ab incōstanti in hoc, quod qui habet illum, obligatur ad minus malum sustinēdum, vt maius evitetur; quia vir constans sequitur rationem rectam, qua scitur, quid pro quo sit dimittendum, vel faciendum; semper autem minus malum, vel maius bonum est eligendum. Qui autem habet metum inconstantem, obligatur potius ad maius malum, quam ad minus sustinendum; sed maius malum est Cōfessarium consentire peccato solicitationis, quam subire pœnam corporalem, vel famæ iacturam propter mulieris solicitantis exclamationem: ergo si consenserit Confessor fœminæ solicitationi metus causa, non erit metus cadens in virum constantem; consequenter que neque à peccato, neque à denuntiatione manebit excusatus.

Pro-

N.72. Probatur secundo à paritate: non causatur timor iustus ex imperio, vel supplicationibus Regis, vel Domini temporalis in vasallis, nisi sit assuefactus tyrannice tractare nõ obtemperantes precibus suis, ex Panorm.c.vlt. *Qui Cleric*.vel *Vouen*. Bartol.in l. *Ad inuidiam*. Quod met. cau.Innoc. in c. *Causam matrimonÿ*.de Officio deleg. sed in nostro casu Confessarius non habet certitudinem, quod illa mulier sic diffamet, & iniuriam faciat non consentienti suæ turpi solicitationi: ergo si suis precibus acquiesceret, non id faceret iusto metu, qui cadit in virum constantem.

N.73. Probatur tertio: quia neque metus infamiæ est iustus cadens in virum constantem, dummodo sit metus *infamiæ facti*. Ratio est, quia quamvis sit grave damnum, tamen *infamia facti* innititur veritati, cui facile licito modo occurri potest, vt inquit Gloss. in l. *Nec timorem*.ff. Quod met. caus. Ad

quod

quod poteſt deſumi argumentum ex c. fin. de *Elect.* c. *Paſtoralis.* de Offic. ordin. Et l, *Quibus diebus.* ff. de Cond & demonſ. Et l. *Qui poteſt facere*, de Reg. Iuris: ergo neque metus infamiæ poteſt obligare Confeſſarium, vt conſentiat ſolicitationi; quandoquidem ſit metus *infamiæ facti*, & non *Iuris.* Metus enim *infamiæ iuris* eſt iuſtus, & cadens in virum conſtantem, vt in l. *Iuſti.* §. fin. ff. eod. tit. Deprehenſus enim in aliquo delicto iuſto metu facit, quidquid facit, ne prodatur; quia proditus poteſt ſubire mortem, vel cruciatus, vel alias pœnas: Quamvis vero fœmina clamaſſet contra Confeſſariũ aſſeverando voluiſſe vim ſibi inferre, nõ eſſet tamen puniendus; quia dictum vnius fœminæ non ſufficit ad huius criminis caſtigationem. Tum quia *mulier* dicitur à *mollitie mentis*, ideoq; varium, & mutabile teſtimonium profferre ſolet, ex Gloſſ. c. *Forus extra* de Verbor. ſignif. Tum quia in pari

qua-

qualitate prævalet Confessarius mulieri, & ita servatur in praxi.

N.74. Probatur quarto, admisso, & non concesso iustum esse metum in Cõfessario solicitationi consentiente; adhuc non excusaretur in totum à peccato, ex c. *Sacris*. De ijs, quæ vi. licet metus attenuet culpam, non tamen eam prorsus excusat. Tum quia, quod iusto metu fit, licet non sit voluntarium quantum ad aliquid, est tamen simpliciter voluntarium: ergo non excusaretur à peccato. Excusaretur tamẽ à tanto peccato, sed non ita, quod cum sit mortale, fiat veniale, ex c. *Sacris*. de homic, & c *Inprimis*. 2. q. 1. quia debet quis potius quæbis mala tolerare; quam malo consentire. ex Angelico Præcept. vbi sup. dist. 32. q. 5.

DIFFICVLTAS VIGESSIMA TERTIA.

An si Confessarius solicitet fœminam in alijs Sacramentis Baptismi, v.g.

&

& Matrimonij, sit denuntiandus?

RESPONDEO non esse denuntiandum. Ratio est; quia in omnibus Pontificum Decretis solum fit mentio de solicitantibus in Sacramento Pœnitentiæ; ergo ad alia ampliari non debent. N.75.

Deinde, quia ratissime occurrit, vt in alijs Sacramentis Confessarius solicitet fœminas; frequenter vero, & facilius in Sacramento Pœnitentiæ. Tum quia hoc Sacramentum cum fœmina, dum est sola, exercetur, & sic semper adest occasio, quod non evenit in alijs Sacramentis. Tum etiam, quia in illo fœminæ sua peccata carnalia, inclinationem que ad ea manifestant: vnde facile provocari possunt Confessores, & occasionem arripere ad eas solicitãdas; ideo que Pontifices in suis Bullis intenderunt huiusmodi exulare abusus, qui commodius, & facilius introduci possent. N.76.

DIFFICVLTAS VIGESSIMA QVARTA.

Vtrum Confessor solicitans masculum ad turpia sit denuntiandus?

N.77. *RESPONDEO* fore denuntiandum. Probatur: ex identitate rationis in lege expressa bene licet facere extẽtionem ipsius legis, etiam si sit pœnalis. Patet assumptum ex c. *Si quis suadente*. 17. q. 4. in quo pœna excommunicationis contra percussores Clericorum, & Monachorum extenditur ad Conversos, & Novitios, c. *Non est dubium*, de sent. excomm. in Gloss. & c. *Religioso*, vbi Gloss. eod. tit. in 6. quod quidem certius est in lege non pœnali, & certissimum in favorabili, qualem hanc iudicat Acuña, q. 3. n. 4. de Confess. solic.

N. 78. Probatur secundo ex Const. Pauli V. 29. Novembris 1612. vbi declarat in suo antecedenti Brevi etiam comprehendi mares. Cuius declarationis fidem

dem facit Cardinalis Mellinus rescribens ad Inquisitorem Generalẽm Portugalliæ. Ita testatur Freitas citatus à Hyeron Rodrig. resol. CXXXI. in suo Compend.

Confirmatur denique ex verbis novæ Constitutionis Gregorij XV. dicẽtis: *Qui personas, quæcumq; illæ sint, ad inhonestos solicitare tentaverint*, &c. N 79.

DIFFICVLTAS VIGESSIMA QVINTA.

Vtrum Confessor solicitans fœminam, non ad inhonesta, sed ad alia diversi generis peccata, sit denuntiandus?

RESPONDEO non esse denuntiandum. Est contra Freitas, Pegna, Castr. Pall. Probatur; quia Pontificum verba solum dirigũtur ad solicitationẽ carnalem prohibendam; sed in delictis non fit extentio ex c. *In pœnis*, de Reg. Iuris. in 6. & ex l. *Interpret.* ff. N. 80.

de Pœnis:ergo non eſt denuntiandus.

N.81. Contradicunt: Gregorius XV. in ſua Conſt.prohibet ſermones *inhoneſtos*, & *illicitos*; ſed non venit intelligendum fruſtra duplicari in Bulla *actus inhoneſtos*, & *illicitos*, niſi aliquid aliud diverſũ ſuperaddant *illicitos* ſupra *inhoneſtos*:ergo rationabiliter *illicitos* ampliari debent ad illicitos etiã extra materiam veneris.

N.81. Reſpondeo Pontificem voluiſſe per illam vocem *illicitos* cõprehendi omnes, & ſolos actus illicitos in materia carnali. Neque obſtat, quod ſupra *inhoneſtos* ſuperaddidiſſet *illicitos*; id enim fecit, vt omnes actus inhoneſti in ſua prohibitione comprehenderentur; qui quidem alias non ita clare amplexarentur; vt quando Confeſſarius tanquam leno inſtaret fœminam in Confeſſione, vt cum aliquo peccaret, vel quod ſuam ſibi domum commodaret ad concubinam adducendam.

(✠)

DIF-

DIFFICVLTAS VIGESSIMA SEXTA.

An Confessarius, qui solicitavit pœnitentem ad lenocinium, sit denũtiandus?

RESPONDEO esse denuntiandum, non solum stando in terminis Cõstitutionis Gregorij XV. sed etiam Bullarum triũ Pontificum prædecessorum. Secunda pars est contra Sancium. Sousa, & alios. Prima constat ex Decreto Greg. XV. prohibet enim ne cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos tractatus habeant; sed pœnitẽtem inducere, quod intercedat, & mediet, vt fœmina in alterius fornicationẽ cõsentiat, est turpia verba loqui, inhonestos que tractatus habere: ergo in terminis dictæ Bullæ est denuntiandus. N.83.

Secũda pars probatur: quia ex præfatis Bullis, & Inquisitorum Edicto mandantur denuntiari Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos N.84.

tos provocant;sed qui provocat pœnitentem ad hoc, vt fœminam consentire faciat in fornicationẽ, absolute provocat ad actus inhonestos;quandoquidem illa mediatio sit actus inhonestus, eiusdem que speciei cum crimine perpetrando: ergo adhuc stando anterioribus Decretis denuntiandus est talis Confessor.

DIFFICVLTAS VIGESSIMA SEPTIMA.

An Confessarius, qui in Confessione petit á pœnitente domum suam, vt ibi adducat concubinam, sit denuntiãdus?

N.85. *RESPONDEO* denuntiandum esse; quia Bullæ verba loquuntur de provocatione ad inhonesta, sive inter se, sive cum alijs quomodolibet perpetranda: ergo ad litteram noster casus comprehenditur in Decreto.



DIF-

DIFFICULTAS VIGESSIMA OCTAVA.

Vtrum, qui Confessario mandat, vt pro se solicitet pœnitentem, sit denunciandus?

RESPONDEO non esse denun- N.86.
tiandum. Est contra Riccium, Homobon. Caren. Ianuar. & alios. Probatur à paritate; excommunicatio lata contra eum, qui occidit, vel furatur, non ligat, neque extenditur ad mandantem furari, & occidere: ergo neq; qui mãdat Confessario, vt pro se ipsis solicitet in Confessione.

Confirmatur: quando lex intendit N.87.
punire non solum faciẽtem, sed etiam mandantem, id explicat; sed Decreta non explicant puniendos esse mandãtes Cōfessario, vt pro se solicitet pœnitentem ad turpia: ergo non intendit eos comprehendere. Maiorem probo ex c. *Mulieres*, de sent. excom. vbi ex com-

communicatio quæ in c. *Si quis suadē te*, erat tantum lata contra percutientem Clericum, extenditur ad mandātem percutere expressa lege.

N. 88. Roboratur: fœmina solicitans Confessarium non comprehenditur in Decretis, quia de ea nulla fit mentio: ergo potiori iure neque mandans Confessario, vt pro se solicitet, es comprehēsus. Consequentiam probo: qui enim mandat Cōfessario, non tantam infert iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, sicut fœmina Confessarium solicitans; quandoquidem fœmina solicitet in ipsomet Cōfessionis actu; non sic autem mandans Confessario, sed extra Confessionem.

N. 89. Arguunt contra: qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. de Regul. Iuris in 6. & ex l. *Manumissiones*. ff. de Iustitia, & Iure, & l. *Si amicis*. ff. de Adulter. ergo qui mandat solicitare in Confessione. videtur se ipsum solicitare in ea; consequenter q̄ est denuntiandus.

Respondeo Regulam Iuris intelligendam esse quantum ad culpam, non vero quantum ad pœnam: dico autem *quantum ad culpam*, non realiter, sed fictione Iuris, & metaphorice; vt observat Bonac. Megal. & Barthol. in l. *Sed si vnius*. ff. de Iniurijs. §. 2. N. 90.

DIFFICULTAS VIGESSIMA NONA.

Vtrum interpres Confessionis, si in ea solicitet pœnitentem, sit denũtiandus?

RESPONDEO denuntiandum esse. Est contra Sancium, Castr. Pall. Sousa, Fagundez, & alios. Probatur; quia interpres, quantumvis laicus, participat aliquid de actu clavis, vt inquit Magister Angelicus in addit. ad 3. p. q. 11 artic. 3 in corpore. Suar. to. 4. disp. 36. sect. 5. ergo comprehenditur extẽsive, & per participationem sub nomine Confessoris. Probo consequentiam: quia interpres, etsi laicus, participat N 91.

de actu clavis, participat sigillationẽ iuxta D. Thomam in 4. dist. 21. q. 3. artic. 4. ad tertium; & sic æque tenetur ad sigillum servandum, sicut & Confessarius: ergo quia Interpres participat de actu clavis, comprehẽditur per participationem sub nomine Confessoris; ac per consequens tenetur non solicitare, non minus ac Confessarius.

N. 92. Probatur secundo: Interpres Confessionis est medium inter Sacerdotẽ, & pœnitentem in ipso Sacramento, debet que veluti principalis iudicari ratione dependentiæ, saltem quo ad hũc effectum: ad quod valde facit argumẽtum desumptum ex l. *Tam inutile*. de Pecul. leg. Tum quia Interpres Confessionis concurrit, & cognoscit pœnitẽtem per ordinem ad eam: ergo afficitur effectibus Cõfessionis. Probo consequẽtiam; quia Interpres concurrit ad Confessionem, & cognoscit pœnitentem per ordinẽ ad eam: ergo afficitur effectu sigilli ex c. *Omnis*, de Pœnit. & remiss. ergo & cæteris effectibus. *DI*

DIFFICULTAS TRIGESSIMA

An Sacerdos, qui non habet facultatem ab Ordinario audiendi Confessiones, si eam habere simulet, & in Confessione solicitet pœnitentem, sit denuntiandus?

RESPONDEO esse denuntiandum. Est cõtra Portell. Sous. & Fagund. Probatur: quia Sacerdos non dum ab Ordinario approbatus, vere, & realiter censetur Confessarius, cum Ordinis potestatem habeat, & possit absolvere á peccatis venialibus, & à mortalibus iam confessis, immo & ab omnibus in articulo mortis: ergo quamvis careat Sacerdos potestate iurisdictionis ab Episcopo tradita, nihilominus erit denuntiandus, si solicitet in Confessione. N. 93.

Confirmatur: quia si contraria opinio teneret, eluderentur Edicta Inquisitorum, & Pontificum Constitutiones. Assumptum probo: stante tali opinione, N. 94.

nione, si Confessarius, adhuc ab Ordinario approbatus, fœminam solicitaret, interrogatus ab Inquisitoribus de delicto perpetrato, respondere posset se proprie non solicitasse, quandoquidem fœmina confessa fuerit peccata reservata, quæ in eius auctoritate non erant absolvere: ergo in hac parte eluderentur Pontificum, atque Inquisitorum Edicta.

N. 95. Per quod patet ad contrariæ opinionis fundamenta; nempe, Sacerdotem novisse non dari in tali casu verum Sacramentum Pœnitentiæ; cum potestatem ab Ordinario non haberet: neque pœnam subsistere impositam; quandoquidem pœna alicui actui imposita nõ incurritur ab eo, qui illum exercet actum, si fuit nullus actus.

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA PRIMA.

An laicus, vel clericus, qui simulan-

do

do se Sacerdotem esse, fœminam audivit in Confessione, eam que ad turpia solicitavit, sit denuntiandus?

RESPONDEO esse denuntiandum. Est contra Portell. & alios. Probatur; quia quamvis vigore Bullæ Pauli V. Pij IV. Clementis VIII. & Gregorij XV. expeditæ cōtra solicitantes non sit denuntiandus; quia limitate loquuntur contra Sacerdotes solicitantes, & vt iam repetitum est, verba pœnalia non sunt extendenda; tamen ex alio capite Inquisitoribus est denuntiandus, nempe, ex Decretis Pauli IV. Sixti IV. Clementis VIII. Gregorij XIII & Vrbani VIII. expeditis contra eos, qui in Sacro Præsbyteratus Ordine non constituti pœnitentium Confessiones excipiunt. N.96.

Neque audiendus est in hac parte Emmanuel Rodrig. to. 2. qq. Regul. q. 28. artic. 2. & novissime in Summa to. 2. c. 83 n. 3. affirmans Inquisitorum N.97.

Iudicio

Iudicio ſubiacere eos, qui cum nõ ſint Præsbyteri, Confeſſiones audiunt, ſimulque abſolutionem impartiuntur; ita tamen vt ſi Confeſſiones tantum excipiant, dummodo non abſolvant, Inquiſitoribus non ſunt denuntiandi; reſpectum enim habent, inquit, ad pœnitentiæ Sacramentum, dum ipſum miniſtrare nolint.

N.98. Fallitur enim hic Auctor, quod ſic ad hominem probo. Qui non promoti ad Sacrum Ordinem Præsbyteratus Miſſam celebrant, Inquiſitoribus ſunt denuntiandi, etiam ſi verba formæ Eucharistiæ Sacramenti non proferant: ergo etiam ſi verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ non proferant, qui Confeſſiones excipiunt non dum conſtituti in Sacro Præsbyteratus Ordine ſũt denuntiandi. Probo conſequentiam: ideo qui Miſſam celebrant, cum Præſbyteri non ſint, ſubſunt Inquiſitorum Iudicio, quia efficiunt, vt Chriſti Fideles credant eos rite conficere Euchariſtiæ

tistiæ Sacramentum, simul que faciũt Idololatriæ crimen ignorãter incurrere ex Const. Clementis VIII. 1. Decẽbris, anno 1601; sed non Præsbyter, qui audit fidelium Confessiones, quamvis formam absolutionis non proferat, efficit eos credere absolutos ire à peccatis, eos que cum gravi animarum detrimento decipit: ergo.

Contra dicet præfatus Auctor: auctoritas, quam Gregorius XIII. committit Inquisitoribus cognoscendi delictum excipiendi Confessiones, qui Præsbyteri non sunt, non est præcise contra eos, qui Confessiones audiunt, sed qui simul absolutionem impartiũtur: ergo qui Confessiones dumtaxat excipiunt, non erunt denuntiandi. N. 99.

Respondeo vnum, vel alterum seorsim intelligi debere, nempe, vel Confessiones tantum audire, vel Confessiones audire, vna que absolutionem impartiri. Patet hoc ex Bulla Clementis VIII. *Confessiones autem audientes,* N. 100.

&

& Vrbani VIII, *Sacramentalem Cõfessionem audire præsumpserint*. Vbi de impartione absolutionis nulla fit mentio.

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA SECVNDA,

An pœnitens solicitata teneatur denuntiare solicitantem, si ex illa denũtiatione timeat damnum notabile in vita, corpore, fama, vel bonis temporalibus?

N.101. *RESPONDEO* adhuc denuntiare teneri. Est contra Sanctarell. Pegna, Fagundes, & alios. Probatur valido argumento: quia Dux militi imperare potest (isteque illi obtemperare debet) excubias agere, adhuc cum vitæ detrimento, propter commune bonũ Reipublicæ; ita Caiet. Soto, Covarru. Vazq. quos citat. & sequitur Villalob. 1. p. tr. 2. diffic. XXVIII. sed denun-

nuntiatio suspecti de fide, qualis est so licitans, cedit in bonum Religionis, to tius quę Christianæ Reipublicæ: ergo lex denuntiandi adhuc obligat cũ pe riculo vitæ.

Probatur secundo: Carthuciẽses ser N. 102.
vare debent præceptum de carnibus non edendis adhuc in periculo vitæ, quia cedit in magnum suæ Religionis commodum, vt late Vazques prim. se cundæ disp. 162. per totam: ergo simi liter præceptum denuntiationis prop ter magnum nostræ fidei commodum

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA TERTIA.

Vtrum Confessarius, qui chartam so licitationis tribuit pœnitenti in Con fessione, sit denuntiandus?

RESPONDEO esse denuntian N. 103.
dum. Et quamvis Castro Pallao cõtra riam sententiam probabilem iudicet; hodie tamen sustinenda non est: quia

extat Alexandri VII. damnatio huius propositionis ad litteram; quæ inter quadraginta quinque ab eo damnatas, est ordine sexta.

N.104. Probatur indepēdenter ab hac dam nationes quia cum traditur pœnitenti solicitationis charta, tunc moraliter incipit solicitatio, iniuria que fit Sacra mento; dummodo sit instrumentum, quo eius vulneratur integritas. Deinde quia sic facillima daretur occasio Confessoribus solicitantibus ad turpia; debilitaretur que vis, & remediū contra huiusmodi contagionem.

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA QVARTA.

An Confessarius, qui prætextu Confessionis fuit in Domum vocatus, si postea in ea solicitet fœminam, sit denuntiandus?

N.105. *RESPONDEO* non esse denuntian-

tiandum. Probatur: quia si Confessor in domum vocetur á fœmina sub prætextu Confessionis, vt prælatum decipiant, & facilis sit exitus; tunc solicitatio non est in Sacramẽto Pœnitẽtiæ.

Nota tamen, quod si in ipsa domo N. 106.
sub Confessionis Sacramentalis figura simulet Confessor Confessionem audire ad illudendos inspectantes denũtiandus est; tunc enim adest vera Sacramenti simulatio. Nota.

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA QVINTA.

Vtrum Confessarius, qui pro Sacramentali pœnitentia fœminæ præcipit, vt nuda à se ipso verberetur, & re ipsa tale factum fuit, sit Inquisitoribus denuntiandus?

RESPONDEO esse denuntiandum. Et recte quidem; cum talis sit actus inhonestus, qui solicitatio interpre- N. 107.

tari debet;vt sedulo intuenti patebit.

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA SEXTA.

An si fœmina solicitata non denuntiavit solicitantem, & tamen solicitaus ex aliorum denuntiatione interdum confessus, vel convictus punitus fuit, teneatur ipsa adhuc denuntiare?

N.108. *RESPONDEO CVM DIStinctione.* Si Confessarius fuit confessus, & convictus de solicitatione illius pœnitentis, quæ non denuntiavit, tunc pœnitens non tenetur denuntiare. Probatur: quia iam abiuravit illud delictum, & iudicium bis exerceri non solet in idpsum; neque res semel iudicata, & punita, regulariter loquendo, revocari solet in iudicium, vt iterum puniatur. Ita Bonac. in tr. var. disp. 6. punc. 3. n. 15. quem sequitur Diana tr. 9. 10. 5. resol. 31.

Si

Si vero Confessarius confessus, vel convictus fuit de provocatione alterius pœnitentis, & non illius, quæ non denuntiavit; tunc tenetur ista adhuc denuntiare, etiam si Confessor semel abiuraverit. Ita ijdem Bonac. & Diana contra Freitas in addit. noviss. ad tr. de Confess. solic. q. 3. n. 54. Probatur: quia quamvis sit punitus pro alia, vel alijs solicitationibus, tamen non censetur sufficienter castigatus, quia graviores pœnas rependere debet pro pluribus delictis, quam pro vno, vel paucioribus. Confirmatur: quia condemnatus in causa hæresis, adveniente nova probatione puniri debet: ergo adveniente nova denuntiatione debet iterum castigari; consequenter que pœnitens in hoc casu tenetur denuntiare. N. 109.

DIFFICULTAS TRIGESSIMA SEPTIMA.

An Confessarius, qui ante, vel post Con-

Confessionem fœminam solicitavit, sit denuntiandus?

N.110. *RESPONDEO* Confessarium, qui in actu proxime, & immediate antecedente ad Cōfessionem, vel ad eam subsequente fœminam solicitavit, esse denuntiandum. Patet clarissime ex ipsa Constitut. Gregorij XV. per hæc verba: *In actu Sacramentali Confessionis, sive ante, vel post immediate.*

N.111. Præcipua tamen difficultas sistit in hoc: quales actus censendi sunt proxime, & immediate antecedere Confessionem Sacramentalem, vel eam consequi? Pro cuius resolutione.

N.112. *Respondeo* cum Illustriss. Acuña q. 14. n. 8. Sousa in Aphorism. Inquisit. lib. 1. c. 34. n. 30. & 31. eum actum dici proxime, & immediate antecedere Confessionem, vel eam subsequi, quando inter ipsum, & Confessionem nullus alter actus Cōfessoris mediat: *v. g.* vult accedere mulier confitendum cum a-

liquo

liquo Confessore, ipso que conscio, eam solicitat,, sine diversione ad aliã actionem;in hoc casu est denuntiãdus, etiam si Confessio non executioni mãdetur, vel quia ipsa noluit confiteri, vel quia ipse noluit eam audire. Similiter si post Confessionem factam Confessor sine divagatione ad alium actum mulierem sequitur, & solicitat sive per se, sive per chartam, sive per nũtium, est denuntiandus.

Probo debere denuntiari indepen- N.113. denter à Bulla Gregorij XV. Id habetur pro facto, quod proxime faciendũ est, ex doctrina Bartol. in l. penult. ff. de Milit. testam. & ex Gloss. in l. *Pomponius*. §. *Raro*. ff. de Offic. Proconf. Paria sunt aliquid fieri in actu, vel paulo ante, sive post. Confirmatur: vicinitas actuum ante, vel post, vnum facit, & eundem actum, ex c. *Officij*. §. *Nos autem*. de elect. & l. *Si ventri*. §. *In bonis*. ff. Privil. credit. ergo de illis actibus, ac si esset vnus, vnũ fieri iudidicium:

cicium, argumento ex l. *Cum antiquitas*. de Testam.

N.114. Probatur secundo: pro actu completo habetur destinatio, ex Felino in c. *Cum adeo*, de Rescrip. Quæ traditio maxime vim habet in causa favorabili, qualis est fidei, ex Clement. *Sæpe*: de Verbor. signif. & propter hoc conatus, & processus ad maleficium pro impleto habetur ex l. *Is qui cum*. C. de Sicarijs, & l. 1. §. *Diuus*. eod. tit.

DIFFICULTAS TRIGESSIMA OCTAVA.

An Confessarius, qui in Confessionario, vel in alio loco solicitat pœnitentem sub prætextu Confessionis, adhuc ea non sequuta, sit denuntiandus?

N.115. *RESPONDEO* esse denuntiandum. Habetur expresse in Constit. Gregorij XV. his verbis: *Qui prætextu Confessionis fœminam solicitaverint.*

rint. Id que prohibent Inquiſitorum Edicta. Maior autem ſubſequitur difficultas.

DIFFICVLTAS TRIGESSIMA NONA.

An Confeſſarius, qui ſedens in Confeſſionali, & non ſimulat ſe audire Confeſſiones, ex inde tamen ſolicitat fœminam ſedentem, vel ſtantem propè illum, aut cum ea de rebus inhoneſtis loquitur, ſit denuntiandus?

RESPONDEO eſſe denuntiandum, contra Freitas, Souſa, Caſtr. Pall Lezana, & alios. Probatur ex Decreto Pauli V. quod afferunt Coriolanus de caſ. reſerv. p. 1. ſect. 2. artic. 22. Peyrin. de Privil. Minim. to. 2. conſt. 4. Gregorij XV. §. 1. Cuius tenorem ad litteram tranſcribere volui ex Diana to. 5. reſolut. 36. qui talis eſt. N. 116.

Feria

Feria 5. die 10. Iulij 1614.

N. 117. In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctiss. Domino nostro Paulo divina providentia Papa V. ac Illustrissimis, & Reverendiss. Dominis; Petro titulo S. Mariæ in via Bellarminio, Ferdinando Taberna titulo S. Eustachij, & Ioanne Garcia titulo Sanctorum quatuor Coronatorum Mellino, nuncupatis Præsbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus specialiter deputatis: facta relatione, quod multi Cõfessarij tractant cum mulieribus in Cõfessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis. Sanctissimus decrevit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio: ergo quamvis non simulent se audire Confessiones, sat est esse in Confessionali;

nali; ex inde que provocare, vt sint denuntiandi.

Nec dicẽdum est, vt aiebant Freitas & Sanciu, Gregorium XV. restrinxisse Decretum Pauli V. ad simulationis terminos, ita vt vterque idem decreverit, nempe puniendos esse, qui in Confessionario solicitant, simulantes ibidem Confessiones audire. N.118.

Tum quia quamvis Gregorij Decretum habeat hæc verba: *Simulantes ibidem Confessiones audire*; non ea propter, vt limitet pœnas ad solos simulantes in Confessionali audire Cõfessiones; in eodem namque Decreto dicitur: *sive extra occasionem Confessionis in Confessionario*. Intelligendũ ergo est vnum, vel aliud seorsim, idest, in Confessionario simulantes Confessionem; vel eam non simulantes, sed extra occasionem Confessionis. N.119.

Tum etiam: quia sufficit Confessorem sedentem in Cõfessionario ex inde fœminam solicitare erga illum stantẽ, N.120.

vel

vel ſedentem, vt dicatur ſimulare audire Confeſſiones: ſimulat enim id, quod ſufficit ad circumſtantium illuſionem; qui enim Sacerdotem videt in Cōfeſſionali, iudicat ibi eſſe paratum ad audiendas Confeſſiones; & ſic vnuſquiſque, qui vult, accedit confiteri.

N. 121. Advertendum eſt tamen, quod ſi huiuſmodi ſolicitatio fiat non in Confeſſionario; eo, ſcilicet, loco ſpecialiter deputato ad audiendas Confeſſiones, ſed in alijs locis, in quibus aliquā do excipi ſolent, qui nec ſunt, nec Cōfeſſionalia dicuntur, immo in ipſis etiam ſæculares ſedere ſolent; tunc Cōfeſſor non eſt denuntiandus. Ita communiter Doctores. Summus enim Pōtifex ad eum locum reſpexiſſe videtur, qui ex inſtituto ad Sacramentum Pœnitentiæ exercendum ſpecialiter eſt deputatus.

Nota.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMA.

An

An Confessarius audiens in Confessione mulierem pœnitentem in aliqua incidisse peccata carnalia, si postea eam per se, vel medio lenone solicitet, sit denuntiandus?

RESPONDEO, quod si immediate post solicitet, est denuntiandus. Si vero non proxime, & immediate provocet, minime est denuntiandus. Est contra Peyrin, qui in vtroque casu iudicat fore denuntiandum. Cæterum iam manet probatum ex Difficult. 37. N. 122.

Arguunt tamen: in tali casu vtitur Confessionis scientia Confessor ad solicitandum: ergo occasione Confessionis solicitat; sed Pontifex prohibet occasione, vel prætextu Confessionis solicitationem fieri: ergo modo mediate, modo immediate solicitet, denuntiandus est in tali casu. N. 123.

Respondeo Pontificis prohibitionem esse solicitationem occasione Cōfessionis N. 124.

fessionis simulando eam audire, vel in ipso Confessionis actu, vel immediate post, vel in Confessionario. In casu autem præsentis difficultatis, licet Confessor vtatur scientia Confessionis ad solicitandum; non tamen solicitat in actu Confessionis, neque immediate ante, vel post, neque in locis prohibitis à Decretis, & sic non comprehenditur in illis.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMA PRIMA.

An si Confessarius in Confessione tribuerit pœnitenti aliquod donum, censendus sit solicitator, simul que denuntiandus?

N.125. *RESPONDEO* fore denuntiandum. Probatur: quia impertinens est ad Confessionem exhibere donum mulieri confitenti, & maximam præsūptionem parit contra Confessarium.

Quid

Quid enim cogitare potest mulier, quæ non elemosinam petere, sed confitendum venit, & tamen Confessarius confert ipsi munus. Deinde quia non tantum expressa, & aperta solicitatio prohibetur in Decretis, sed & palliata, tacite, vel amphibologice demõstrata, qualis videtur exhibitio muneris fœminæ: præcipue cum mulierum provocatio ad carnalia, vt in plurimũ, fiat per munerum largitionem: insuperque dona, magis quam verba fœminas alliciant ad ea perpetranda.

Notandum vero est, quod si fœmina sit pauper, munusque á Confessario exhibitum alicuius non sit momenti; non est censendum Confessorem solicitasse; præsumptio enim stat pro Cõfessario ex titulo paupertatis. Similiter casu, quo pœnitens fuerit liberalis in largitione elemosinarum Confessori; tunc erit putandum exhibitum fuisse munus à Confessario in signum gratitudinis. Mature ergo, & prudenter N.226. Nota.

hac

hac in re debent circumstantiæ conciderari, & iuxta eas resolvere.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMA SECVNDA.

An si Inquisitorum Edicta non publicentur, teneatur adhuc sub excommunicationis pœna Confessarium solicitantem denuntiare?

N.127. RESPONDEO teneri sub tali censura, & non solum peccaret mortaliter, qui omitteret denuntiationem. Probatur: quia talis Confessarius est de hæresi suspectus, & de huiusmodi denuntiandis extat præceptum Sanctæ Romanæ Vniversalis Inquisitionis, vt iam difficult. 8. dixi.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMA TERTIA.

An Confessarius solicitans fœminam

ad

ad actum tantum venialiter peccaminosum, sit denuntiandus?

PONAMVS CASVM. Confessor in Confessione manum, brachium, vel pedem fœminæ cõfitentis premit, digitos intorquet, mammillas tangit, & his similia, quæ ad viri prudentes iudicium non sunt pecca mortalia, sed parvitas materiæ (si quæ sit in peccato luxuriæ); est ne censendus solicitator, consequenter q̃ denuntiandus? N. 128.

Respondeo denuntiandum esse, cõtra Portell, Castr. Pall. Souss. & alios. Probatur: estò huiusmodi actus sint venialia intra genus luxuriæ, cum abest finis peccati mortalis, vt tenet Villalob. Navarr. & Sanch. tempore tamen ministrandi Pœnitentiæ Sacramentum, vel in Confessionario sunt mortalia: ergo. Patet antecedens: quia licet intra genus castitatis sint levia, intra genus tamen Religionis gravia sunt reputanda. Probatur assumptum:

quamvis intra genus temperantiæ ſit leve peccatum modicum cibi ſumere in die ieiunij; intra genus vero Religionis grave peccatum eſt, illo ſumpto ad Euchariſtiam accedere: ergo ſimiliter. Probo ſecūdo idem antecedens: verba iniurioſa, quæ continent levem cōtēptum, quamvis ſint culpa venialis in quemliber prolata; ſi tamen in patrem carnalem, vel ſpiritualem, Prælatum ve proferantur, erunt mortale peccatum: ergo licet aliqua ſolicitatio in genere luxuriæ ſit levis, accipit tamen gravitatem á perſona, loco, tēpore, & qualitate.

N. 129. Probatur ſecundo: qui rei illicitæ operam dat, mala eſt in illum præſūptio ex c. *Lator*. c. *Suſcepimus*, & c. *Ioannes*, de Homicid. ſed huiuſmodi blāditiæ, quantumvis leves, ſunt illicitæ; tum quia fœminæ facillime ad libidinem provocantur. Tum quia ex Trid. ſancta ſancte adminiſtranda ſunt: ergo cōtra Confeſſorem, qui talia facit, eſt ſolicitatoris præſūptio. Ar-

Arguunt contra: neque ſuſpicio hæreſis, neque ſacrilegium oritur ex actu veniali; ſed ſolicitans eſt ſacrilegus, & ſuſpectus de fide: ergo qui ad actus veniales ſolicitat non incurrit pœnas, neque eſt denuntiandus. N.130.

Arguunt ſecundo: culpa, & pœna mutuo proportionantur ex Deuteron. 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus*, ſed graviſſimæ pœnæ ſunt Iure impoſitæ ſolicitantibus: ergo non pro culpa veniali. N.131.

Confirmant: Excommunicatio maior non fertur niſi pro mortali culpa; nec lata pro veniali obligat in conſciẽtia ex 11. q. 3. c. *Nemo Epiſcoporum*, & c. *Nullus Sacerdotum*. Trident. ſeſſ. 25. c. 3. de reform. inquit; *Cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incurratur* (nempe excommunicatio) *magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem*: ergo non eſt ſolicitans, qui leves operatur actus, nec denuntiandus. N.132.

N. 133. Respondeo ad hæc, & similia argumenta; quod licet ex se talia sint venialia, & actus leves; accipiunt tamen gravitatem à circumstantijs; & sic talia committētes statutas incurrūt pœnas.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMA QVARTA.

An Confeßarius, qui cum verbis, signis, vel nutibus dubijs, & obscuris fœminam solicitat, sit denūtiandus?

N. 134. *RESPONDEO* esse denuntiandum. Probatur: quia nutus, obscuriora que signa plusquam verba sunt: licet enim in cupidinis foro primum locum verba habeant, vt cātitat Ovidius lib. 1. de Arte amandi.

Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris.
Nec tibi per nutus accipienda nota est,

Si tamen tempus, aut locus expressiora

ra verba non admittant, ad signa, & nutus est recurrendum.

Confirmatur: ambigua verba, vel nutus suam habent significationem, iuxta quam sunt interpretanda ex c. *Intelligentia*, de Verbor. signif. & c. *Ex litteris*, de Sponsal. Deinde, quia Inquisitores erga hoc crimen indagare possunt, an fuerit commissum: ergo circa factum, vel verbum dubium vocare possunt Confessorem examinandum: ergo ea proferens, vel faciens est denuntiandus. N. 135.

Contradicunt 1. In dubio minus malum est præsumendũ ex Reg. Iur. in 6. *In obscuris*, & c. *Estote misericordes*. eod, tit. in antiquis. Probaturque á paritate: fœminam, & clericum se amplexantes debet interpretari eam benedicendi causa fecisse ex Gloss. in c. *Absit*. 11. q. 3. N. 136.

Secundo contradicunt: Cum verba in bonum, & malum sensum adduci possunt, bonus est præsumendus, dum N. 137.

de

de malo non constat ex l. *Merito.* ff. Pro socic. & ff. de his, quæ in testam. *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius, quam tutius.* Et 11. q. 3. Magnus inquit Gregorius: *Grave satis esse, & indecens in re dubia certam dare sententiam.*

N. 138. Respondeo totum in argumentis allegatum esse verum, nisi á communibus accidentibus, & ex vsu communi signa, vel verba ad malum sint adducenda, vt in nostro casu.

N. 139. *Advertite,* quod si Confessor laudet fœminam pœnitentem ex pulchritudine, dicendo iniuriam suæ facere venustati, quam Deus ipsi contulit, se alijs prostituendo; vel similia verba, vt

Nota. eam à turpitudine avertat; tūc non debet contra ipsum præsumi, nec denuntiari. Ab huiusmodi tamen verbis se se Confessores propter periculum abstineant.



DIF.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMA QVINTA.

An Confessores solicitantes sint de hæresi suspecti, & qualiter?

PRÆMITTENDVM est *Suspicionem esse opinionem ex indicijs procedentem.* Dividitur in levem, vehementem, & violentam. Suspicio levis contra fidem (de qua loquimur in præsenti) *est quæ provenit ex verbis, signis, vel factis exterioribus, ex quibus raro cõijcitur, quod talia dicens, vel faciens sit hæreticus.* Vehemens est, *quæ provenit ex signis, verbis, vel factis exterioribus; ex quibus frequenter, & ut in plurimum colligitur, quod talia dicens, vel faciens sit hæreticus: quæ præsumptio* dicitur *Iuris.* Violenta est, *quæ nascitur ex verbis, signis, vel factis exterioribus, ex quibus fere semper infertur, quod talia dicens, vel faciens sit hæ-* N. 140.

hæreticus; dicitur que *præsumptio Iuris*, & *de Iure*, iuxta Pegna in Direct. Inquisit.2. p.comment. 80. His præmissis.

N.141. *RESPONDEO* primæ parti Cõfessores ad turpia solicitantes esse de fide suspectos, Patet ex Cõstit. Pij IV. *Nos in animum ducere nequeuntes, quod de fide Catholica recte sentiant.* Et infra: *Quid de ea sentiant, diligenter inquiras.*

N.142. *AD SECVNDAM* partem dico esse tantum leviter suspectos de hæresi. Patet, quia raro venit, vt solicitans sit hæreticus; quandoquidem ad luxuriæ peccatum maxime procũbunt homines Et hæc est praxis Hispanicæ Inquisitionis, quãvis Romana torqueat tales delinquentes, quia iudicat solicitãtes esse vehemẽter de hæresi suspectos. Vnusquisque suæ Inquisitionis sequatur stilum, & praxim.



DIFFICULTAS QUADRAGESSIMA SEXTA.

Quas pœnas solicitantes incurrant?

RESPONDEO determinatas à Gregorio XV. in sua à nobis repetita Constitutione, esse suspensionem ab executione Ordinis. Privationem quorumcumque Officiorum, & Beneficiorum. Perpetuam inhabilitatem ad ea obtinenda. Privationem vocis activæ, & passivæ (si sit Regularis) Exiliū. Damnationem ad triremes. Incarcerationem. Traditionem que brachio sæculari, si id deposcat delictum. N. 143. N. 144.

Insuper ex Epistola Supremi Senatus Inquisitionis Hispaniæ edita 1. Iulij 1580. Inquisitoribus que directa, aliæ pœnæ sunt his delinquentibus impositæ, nempe, Abiuratio de levi. Privatio perpetua audiendi Cōfessiones, præsertim mulierum, Administrationis aliorum Sacramentorum, arbitrio

In-

Inquiſitorum ſicut & detruſio in aliquod Monaſterium. Exilium à loco, vbi crimen commiſſerunt. Vltima ſedes inter ſuæ Religionis Fratres, fuſtigatio in ſuis cænobijs, immo & in Tribunali iuxta enormitatẽ delicti. Quæ quidem ſententia reo profertur in ſecreto Tribunali, præſentibus vniuſcuiuſque Ordinis duobus Religioſis Cõfeſſarijs, vel ſicut Dominis videatur Inquiſitoribus, in quorum conſpectu graviter reprehenditur, ſimul que abiurat de levi.

DIFFICVLTAS QVADRAGESSIMASEPTIMA, ET VLTIMA.

N.145. *Quid ſit abiurare?*

RESPONDEO (relicto Ciceronis ſenſu, in quo abiurare ſignificat negare ſimpliciter: *Mihi autem* 1 ad Attic. inquit *abiurare certius eſt, quã* de-

dependere. Et Virgil. 8. Æneid. apud quem abiurare est cōtra ius tenere; canit enim: *Abstractæ que boues, abiuratæ que rapinæ*) *Abiurare*, secūdum Doctores, & vt nostro servit intentui, *est rem aliquam cum iuramento negare, & detestari.* Qui ergo revocaverit, & iuramento negaverit, id, quod prius affirmaverit, abiurasse dicitur. N.146.

Vnde qui propria confessione, vel facti evidentia, sive testium legitima attestatione de hæresi, vel de hæresis suspicione fuerit convictus, debet hæresim abiurare secundum qualitatem suspicionis, ex c. *Accusatus.* c. *Ad abolendam.* de hæret. in 6. ita vt si gravis fuerit suspicio, abiurare debeat de gravi; de levi vero, si suspicio sit levis, qualis est in Confessario fœminas pœnitentes ad turpia provocare.

ET HÆC DICTA SVFFICIant, pro sufficiēti Confessorum in hac ma-

materia expeditione, in Dei Omnipotentis laudem, Virginis Matris ſine labe conceptæ, eius que Sanctiſſimæ Genitricis Annæ; quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pedibus ſubijcio, peritorum que iudicio.



LAVS DEO.

